Kretschmann De Latinitate L. Apul
Madaurensis

DE LATINITATE

L. APULEI MADAURENSIS.

SCRIPSIT

H. KRETSCHMANN.

REGIMONTI PR.

IN COMMISSIS APUD SCHUBERT ET SEIDEL.

A. MDCCCLXV.

REGIMONTI PR.

Typis expressit Gruber et Longrien (G. Longrien).

INDEX.

		Pag.
	Praefatio	1
I. Pars.	**De universo orationis colore**	**2—34**
A. a)	De aetate ac condicione ingenioque scriptoris	2
b)	De dictionis varietate	5
c)	Quaedam de Sophistarum minorum similitudine	7
B. a)	De concinnitatis studio et alliterationum genere	9
b)	De priscae linguae imitatione	16
c)	De poetico orationis colore	17
d)	De dicendi genere translato	20
e)	De phraseologia universa	22
f)	De vulgari orationis colore	26
g)	De Africitate	33
II. Pars grammatica		**34—140**
A.	**Scriptoris lexicon**	34—87
a)	Substantiva	36
	(-tor. -tio. -tus. p. 36 sq. -men.-mentum. -bulum p. 40sq. -entia. -ura p. 43. -tas. -or. -tudo. -o. p. 45 sq. Substantiva pro adiectivis p. 47.)	
b)	Adiectiva	48
	(Participia p. 48. -bundus. -osus. -arius p. 50 sq. -entus. -neus. -ulus. -ficus. -inus p. 52. -us. -ius. p. 53. -abilis. -ibilis. -ilis. -alis p. 57 sq. Adiectiva pro substantivis et adverbiis p. 59 sq.)	
c)	Adverbia	61
	(A participiis flexa etc. p. 61. -itus. -atim etc. p. 63.)	
d)	Voces deminutivae	65
e)	Voces graecae	67
f)	Verba	70
	(Verba primae declinationis p. 71. Deponentia p. 79. Secundae p. 81. Tertiae p. 82. Quartae p. 84.)	
g)	De declinationis atque coniugationis licentiis	85

Pag.
B. Scriptoris syntaxis . . . . 87—140
a) De pronominum usu 88
b) De particularum universo genere 93
c) De praepositionibus separatim disseritur . 114
d) De singulorum casuum insolentiore usurpatione 125
(Genitivus p. 125. Dativus p. 128. Accusativus p 130. Ablativus p. 133.)
e) De infinitivi usu 135
f) Miscellanea 138

Saepius linguae literarumque Latinarum historiam et florescentium et senescentium viri docti comparaverunt cum humanae vitae aetatibus. Qua in comparatione hoc etiam in primis soliti sunt premere, ut mortalium nemo statim a robore virili ad decrepitam senectutem traduceretur verum temporis tardiore progressu, deficientibus corporis viribus, sensim pedetentimque debilitaretur, sic linguam quoque Latinam non aliter esse corruptam nisi paullatim. Sed non deerunt, quibus literarum linguaequae inde ab Hadriani temporibus ruinam considerantibus, haec etiam comparatio, quod de omni similitudinum genere est, claudicare videbitur, idque iure: nam non facile inveneris aliud aetatis momentum, quo lingua ad corruptionem aeque subitam ac praecipitem sit prolapsa. Atque de caussis depravationis tam repentinae universis hoc loco fusius quaerere omitto: attingendae enim sunt non multo infra: certe et late patent neque difficile indagantur. Multa etiam, qui linguarum literarumque perlustrat historiam universam, non solum in originibus et incrementis et fastigiis verum etiam in deminutionibus atque ruinis reperiet similia. Neque ea literis tantum continetur similitudo: sed ceterarum quoque artium progressus vel lapsus apud gentes diversas eosdem earumque mutationes iisdem de caussis profectas licet animadvertere atque adhibere. Talis mihi obtulit sese consideratio quum legissem L. Apulei metamorphoses, quem non senescentis linguae scriptorem, sed iam plane senilis fuisse contenderim

verum opinor scriptorem tamen,

Ut legendus sit.

Neque enim is, qui grammaticis studiis deditus grammaticae eruditionis exercitationisque caussa vel fortasse etiam indagandi quaedam gratia scriptorem aliquem sibi eligit ad

inquirendum, aliis duci debet rationibus, nisi quae suis usibus sint idoneae. Ita equidem quum iam ab initio studiorum huiusmodi statuissem marcescentis atque ultimae fere latinitatis perscrutationibus praecipuum tempus meum operamque impensiorem dare: elegi suadentibus studiorum meorum rectoribus L. Apuleium, cuius libros accuratius inde perlegi saepiusque, etsi non aliter nisi subsiciva opera, recolui ac retractavi. Is enim est aequalium scriptorum notissimum ac luculentissimum exemplar eiusque dictio ad cognoscendam postremae illius latinitatis proprietatem potior visa est, quam Frontonis sicca ieiunitas sut Gelli minutae literae aut Tertulliani ab antiquitate alienatus color. Praeterea ceteris, quanto ingeni antepollet ubertate et inventionis facilitate dictionisque ut ita dicam exsuperantia, tanto praestat nobilitate ac fama. Nam quum reliqui deterreant lectorem aut ingeni stoliditate scribendique exilitate aut materiae insubidae vel molestae taedio, Apuleium summo favore amplexi sunt ac lectitaverunt quum antiqui tum mediae aetatis homines, nonnulli etiam nostrae: cuius applausus non minima pars argumenti, quod tractavit, non fastidiosi immo vero admodum ludicri iucunditati ac lepori est tribuenda.

Pars I. **De universo orationis colore.**

Si de latinitate Apulei disserere instituimus, non eo nos contineri satis est, ut solam elocutionis proprietatem et quaecunque ad grammaticae artis regulas spectant, naviter ac studiose tractemus: sed ante de universa indole eius ac narrandi describendique ratione primitias quasdam et libamenta dare necesse est, ad quae haurienda non assidua lectione neque ita subtili scriptoris pertractatione opus fuit. Utrumque autem artissime inter se conexum est alterumque alterius declarat atque illustrat rationem caussasque. Certe, quoquo modo agimus, in aditu quasi totius quaestionis altius nobis repetendum est ita, ut paucis verbis eius **aetatis**, quae Lucium nostrum tulit, **statum ac condicionem** adumbremus ex antecedentibus.

Linguam latinam, qui post Augusti aetatem vixerunt, acceperant quum a scriptoribus rerum illustribus tum a

praeclaris poetis iisdemque eruditissimis, mirum in modum limatam et excultam et nimis quam locupletatam. Eius tum copiam ubertatemque ac venustatem cumulare sine dubio et in summum perfectionis fastigium extollere studuerunt: sed immoderatione nimia elati iustum excesserunt modum, et ineptis futilibusque ornamentis sagacibusque rhetoricae disciplinae arteficiis fractam linguae virilitatem floremque suis ipsius viribus ante vigentem frustra compensare sunt conati. Fortibus vero quum fortiora quisque remedia quaereret, fiere non potuit, quin tandem, nimis provecta excitatione et exacutione illa sententiarum arguta et affectata, delassarentur hominum ingenia taedioque ab hoc scribendi genere averterentur. Hoc evenit eo tempore, quo, postquam primi saeculi diritatem res laetiores et compositae exceperant, facta est omnium rerum magna eaque satis repentina mutatio, ineunte ac medio circiter altero p. Ch. n. saeculo. Sed neque antiquum rediit robur neque mansit ingeniorum fecunditas. Prius enim aevum decrescens quidem, sed nullo modo sterile aut iners fuerat aut effoetum; insequens autem aetas novi nihil concipere neque quidquam ex se ipsa parere potuit, quum deessent ingenia suis ipsorum viribus vegeta atque efficacia. Istam priorum *dicacem argutiam* dicendique *ineptum inanemque impetum* *) sive, quam Fronto reprehendit *confusam eloquentiam* **) fastidire coeperant et repudiare. Sed quamvis usque eo venissent recti iudici, multum tamen abfuit, ut ad veterum exemplarium, inprimis Ciceronis imitationem redirent ***). Diversum tendebant iter ad medendum linguae labi: omnibus tamen hoc certe commune erat, ut, quum meliorem quam antecedentis saeculi quaererent eloquentiam, in genus inciderent vitiosissimum. Reiectis enim optimis probae sinceritatis magistris ad priscum sermonem Plauti Catonis Graechorum adspirabant; inde colorem toti orationi appingere studebant †), innumerabilibus inde sumptis verbis formulisque dictionem referciebant. Quorum antea, qui Augusti temporibus vixerunt, duritatem verrucosam et ut ita dicam saxa ac salebras tum acerbius increpare tum lepidius irridere solebant, toti elegantis atque venustae orationis gustu capti totique Graecorum exemplarium

*) Gell. N. A. XII. 2. 1.

**) Fronto pg. 132.

***) Niebuhr. Histor. phil. Schriften. Bd. I. pg. 324.

†) Fronto pg. 89. sq.

admiratione imbuti, eorum tum, qui altero p. Ch. n. saeculo scriptitaverunt, gravitatem et virilitatem et tamquam sanctiatem exaggeratis laudibus efferebant quantumque poterant suscitare ac revocare conabantur: ad illam quasi confugiebant, quando in omnia deliciarum vitia defluxerant lingua literaeque. Ita prima specie quidem prae immodica praecedentis aevi luxuria oratio magis videtur modesta ac sobria: sed nullo modo ea est praestabilior. Nam hoc ipsum, quod antiquam simplicitatem consectabantur, affectatio erat et nimiae artis et vani laboris. Verba, locutiones, totaque dicendi forma casca velamento erant ingeni ieiunitati ac siccitati eiusmodi, qualem Frontonis prae se ferunt libri; nec tamen egentis indolis penuriam resarcinare potuit laboriosa eruditio. Sed Frontonem, declamatorem ineptum atque enervem, ingentes vocum turbas intima doctrina conquisitarum subtilique arte ordinatarum fundentem iisque sensum futilem frigidumque includentem multo et Gellium et Apuleium superasse constat: quorum alter magis expolito iudicio et maiore moderatione usus est in verbis deligendis atque ponendis, alter tantum abfuit ut sibi temperaret, ut potius inmissis libere habenis per omnem licentiarum campum exsultans vagaretur, linguaeque Latinae nobis exhiberet speciem mirum quantum ab omnium priorum scriptorum usu formaque abalienatam.

Quibus de universo literarum statu praemissis, iam de tota dicendi ratione et de ingenio eius quaerendum est. Atque de hoc quidem omnes cosentiunt: procul dubio enim omnes aequales laetissimae indolis abundanti ubertate, ut omittamus ingentem multiplicemque doctrinam, splendidisque facultatibus longe superavit. Prae ceteris autem inter praestantias eius efferre solent illam animi incitationem fervoremque naturaliter innata, quae, si quam indolis partem, rectissime naturae regionis, qua fuit oriundus, assignaveris. Verum praeter hunc calorem hominis vere Afri ac fervidissimam promptissimamque imaginandi vim, quae dicendi genere vegeto vividissimisque coloribus distincto patefit: ne iudicio quidem caruit. Iure equidem Ruhnkenio concedendum arbitror, eum de industria cogitateque, quum recte scribendi consilium ad Ciceronis et ut quisque ei simillimus est, normam dirigere debuisset, non quidem optimos illos deseruisse, sed tamen cum eorum imitatione scriptores ex ultima antiquitate repetitos coniunxisse, unde verba obsoleta exculca-

taque sibi promeret, aliaque licentius et insolentius confinxisse, quorum lepida novitate et arguta sonoque inaudito aures titillaret. Cetera quoque ad exornandam orationem studiose conquisivit rhetorica arteficia, considerateque adhibuit verborum suaviter consonantium congestos cumulos, sententiarum concinnam seriem, constructionum insolitarum audaciam, figurarum frequentium iucunditatem, similitudinum aut parum aptarum aut longius ductarum copiam. Ubique orationem summopere affectat neque aliter eam nisi arteficiose affectatam vult accipi: ipse se ad aequalium studia gustumque corruptum quasi accomodavit, sincerioris usus non nescius.

Etenim quem de magia librum reliquit, locuples sane testis est moderationis iustis se finibus coercentis. Ibi enim exuit nimiam illam sermonis lasciviam et antiquaria et audacter innovata verba, etsi non adeo, ut non internoscere possis mere Apuleiana, quaesitam contortamque dictionem a legitima simplicique castitate procul remotam, maxime, ubi gravius commovetur, concitatiorem, ubi relicta argumentandi serie ad descriptiones digreditur, tumore insurgentem verbisque etiam horridioribus interspersam. Ceterum narrat simpliciter, presse et dilucide caussas concludit: verba usurpat proprie parciusque neque audacter immutat et ita collocat, ut ubique dura absit neglegentia, etsi non semper ostentandi artem vitetur suspicio. Sententias non tam vasto ambitu verborum struit, sed brevibus et pressis continuationibus totam orationem modestius componit ac facilius concludit. Sed iam **totius dictionis eius varietatem** accuratius perlustremus: nam non solum in forensi eloquentia versatus est sed omnia elaboravit genera. Praeter carmina enim multaque volumina de rebus ad naturae cognitionem pertinentibus conscripta, quae non ad nos pervenerunt, etiam philosophicos libellos composuit. Quorum ratio atque oratio nihil habet adeo proprium atque insigne: sumpta enim est e Senecae et Ciceronis similibus libris, nisi quod in sententiis conectendis difficilior et in verbis ad significandas inusitatae materiae res necessarie confingendis aliquanto est audacior. Praeterea quum fere totus Graecorum scriptis nitatur, multa accuratae conversionis speciem prae se ferunt itaque in examinanda Apulei dictione minus respiciendi sunt. Ceterum etiam incompta quadam incuria rerumque tractatarum difficultate multo minus sunt ceteris iucundi. Maximi omnium momenti, si et ambitu et gra-

vitate metimur, metamorphoseon libri sunt: ibi enim ratio eius clarissime plenissimeque aperitur illasque ostendit memorabiles admodum proprietates plurimas, quas omnino Apuleianas esse volumus et de quibus in primis haec est quaestio. Similes sunt illae oratiunculae, quae sub Floridorum nomine accepimus, in quibus idem tumidum et affectatum et non nunquam lascivum est dicendi genus et verborum numerose collocandorum accurata diligentia adhibita ita, ut omnia leniter fluerent, apte caderent membrisque crebris distinguerentur. Sunt etiam nonnulla super exspectationem simpliciter narrata et venuste descripta.*) Plerumque autem nimio venustatis studio in contrarium delabitur oratio infringiturque ac dissolvitur in partes minutissimas, verborum arteficiosa concinnitate cohaerentes et sibi respondentes, omnique argutiarum genere infucatas.

Ex hac dictionis varietate, quam primus sensit sed paucis tantum verbis attigit Ruhnkenius**), quaestio oritur, quosnam libros prius composuerit: quam hic interponamus, etsi novi nihil proferamus. Verisimillimum est, primum eum Apologiam, dein Florida, quae medium fere locum obtinent, denique provectum iam aetate Metamorphoses conscripsisse: quam scriptorum dispositionem probant plurimi***) eamque recipere necesse est, etsi non hoc premere opus est, quod Kruegerus l. c. pg. VI. attulit, Apulei scripta exemplum esse ingravescentis dictionis Africae: quippe Apologiam simplicis orationis leviter tantum infucatae, cetera affectae et iam prorsus imbutae pravitate Africorum scriptorum magis magisque percrebrescente praebere specimen. Huic opinioni adversatus est doctissimus Apulei editor Hildebrandius†), sed argumentis nixus valde infirmis: quorum alterum, similitudinem curriculi vitae adumbrate metamorphosibus expressam, fusius explicare longum est. Alterum est, quod turgidum et ad taedium usque luxurians genus dicendi, verborum nimiam copiam et fucata illa pigmenta, denique vividam imaginandi speciosamque describendi rationem necessarie putat referenda esse ad inge-

*) Flor. Cp. III. IX. XVI. XVIII.

**) Praef. ed. Oudendorp. pg. III.

***) Zumpt Jahrb. f. wissensch. Kritik. Novmbr. 1843. pg. 677. Apologia ed. G. Krueger 1865. praef. Bernhardy Röm. Lit.-Gesch. pg. 819. 823.

†) Hunc secutus est: Erdmann, de L. Apulei Madaurensis elocutione Progr. Stendal 1864: inchoata tantum et admodum exilis, non solum si ambitu metimur, dissertatiuncula.

nium iuvenili adhuc ardore inflammatum iuvenilibusque exsultantem licentiis. Talia qui contradicit, in mentem revocare necesse est, aliam esse hominis aliam linguae aetatem, neque in hac, quae iuvenili animo apta iuvenique probata sint, ea esse perfecta certaque florescentis linguae indicia: quae potius, quo magis senescit quantoque longius a nativa sinceritate ac simplicitate digreditur, eo magis ad illa inania ac frivola subsidia confugere solet, quibus iuvenenum ingenia vegeta vividaque oblectantur. Gravissimum denique argumentum, quod vetat nos metamorphoseon libros ante apologiam scriptos exsistimare, silentium dico accusatorum de his libris, rerum magicarum plenissimis, pro more suo removit Hildebrandius facillime, metamorphoses diu iam conscriptas Apuleium post accusationem magiae demum edidisse affirmans. Verum in his argutiis nimis subtilibus morandi non tempus est. Iam enim, his de varietate Apuleianae dictionis breviter commemoratis, transeamus ad ea proponenda, quibus eius proprietas contineri videatur, ea potissimum, cuius luculentissime plenissimeque expressum exemplar praebent metamorphoseon libri.

Atque illam quidem facilem mobilemque et uberrimam imaginationem, qua omnibus antecellit quaeque genus dicendi protulit unicum uniceque memorabile, supra praedicavimus. Periculum autem fuit, ne iste Africanus, quem diximus, calor in inane evanesceret daretque „fumum ex fulgore“: quod non vitavit sed potius de industria appetivit. Inde ille ad taedium usque molestus ubique tumor sensuumque volumina et verba congesta ac cumulata fastidiose ad rem eandem significandam saepe, maxime in describendo. Nemo ante eum fuit, qui tantopere consulto et quaesite orationem affectaret, melioris sermonis legum non nescius, tantos verbis sonantibus vel pro libidine et inaudite confictis vel e poetarum usu depromptis vel e casca antiquitate arreptis sumptus impenderet, tantopere argutiarum minutarum studiosus et arteficiorum rhetoricorum esset ostentator. Totum autem hoc genus, in quo audacius ac prope libidinosius quovis alio, sed pro ingeni vigore uberrimo speciosisque facultatibus non invenuste versatus est, una cum argumento suo ex Graecia deportasse videtur. Qui circa Hadriani et Antoninorum tempora ibi summa gloria et auctoritate floruerunt, **sophistae minores** sive secundi, eorum oratio, quae vocatur demonstrativa, multa habet communia cum Apuleio. Nam tumida et lasciva dictione nihil nisi

aures permulcere studebant, verbis antiquis et Atticis promiscue cum puerili quadam ostentatione utebantur et nova licentius fingebant*), ad poetarum similitudinem non verbis solum verum etiam numeris adspirabant.**) Haec etiam eorum inclinatio studiumque describendi fusius loca tabulus signa***) plurifariam apud Apuleium est animadvertere: in quo campo ad obtegendam ingeniorum sterilitatem ac tenuitatem latissime ac libentissime vagabantur. Est autem hoc commune universumque marcescentium literarum indicium. Apulei praeter Florida aliosque metamorphoseon locos, ubi pretiosarum rerum, ornamentorum, opulentae domus imaginem delineat vel diei tempora et anni vicissitudines uberius describit, insignissima duo exempla conferri possunt M. I. 91—96†) ubi ad descriptionem Dianae et Actaeonis statuarum incredibili perfectarum arte artificiosam nimis digreditur, audacibus vocibus vocumque coniuntionibus refertam et M. XI. 767—769., ubi admodum molli ac studiose quaesita suavitate matutini temporis amoenitatem depingit: ubi animum intendas ad liquidarum literarum frequentiam (cf. M. IV. 316. extr.) et huiusmodi mellitum sonum: „dulces strepitus obsibilabant“ „concentus suaves adsonarent“. Verum si omittimus hasce orationis munditias atque illecebras nimis callide excogitatas nimisque moleste exaggeratas, sane concedendum est orationem ubique vividam, interdum etiam nervosam esse, ubi modesto ornatu splendeat, et praecellentis ingeni sed virtutibus suis luxuriantis prae se ferre speciem neque sine aliqua oblectatione percipi: quam si non possumus probare, saepius admirari certe debemus.

Singulas autem orationis proprietates si separatim ac deinceps pertractare exemplisque illustrare conamur, veniam ante petere necesse est. Non acriter enim discerni possunt saepiusque, id quod in omni eiusmodi quaestione fit, eadem res ad utramque partem pertinet: quaedam igitur saepius iterare videbimur.

Ac primum quidem Apuleius, quae est eius natura fervida ac ferax, ut uberrimus imaginandi facultate, ita turgidus ver-

*) Lucian. Rhet. doct. Op. 17.

**) Philostr. Vit. Soph. pg. 5. ed. Kayser.

***) Ibid. pg. 97. Lehrs. Pop. Aufs. pg. 114.

†) M. = metamorphoses. Ap. = apolopia. Flor. = Florida. DSr. = de deo Socratis. DPl. = de dogmate Platonis. Asc. = Asclepius. Mund. = de mundo liber. Numeri sunt editionis Hildebrandianae et Oudendorpianae.

borum immodica copia est. Non potest ullam afferre vel denominare rem in sententiae nexu levissimam, quin eam ornet uno vel pluribus appositis vel amplificet similium similiter exornatarum additione. Ubi rerum varietas nulla est, verba certe variantur; si desunt verba, aut nova finguntur aut licenter immutantur usitata. Immensa est multitudo exemplorum talis luxuriae infrenis: ex quibus tamen ad adumbrandam dictionis speciem pauca efferamus velut M. I. 12: *ardua montium et lubrica vallium et roscida cespitum et glebosa camporum* ib. 39: *fortunarum lubricas ambages et instabiles incursiones et reciprocas vicissitudines:* ib. 34: *caussas et peregrinationis diuturnae et domuitionis anxiae et spoliationis diurnae et cladis miserae refero*: quae omnia ad idem factum spectant. M. 210: *micantibus oculis et rubentibus bucculis et renidentibus crinibus et hiantibus osculis et flagrantibus papillis.* V. 343. *Nuntio Psyche laeta florebat et divinae sobolis solatio plaudebat et futuri pignoris gloria gestiebat et materni nominis dignitate gaudebat* ib. 344: *Dies ultima et casus extremus et sexus infestus et sanguis inimicus iam sumpsit arma et castra commovit et aciem direxit et classicum personavit.* Verum huius fastidiose ac nonnumquam sine sensus amplificatione cumulatae ac copiosae facundiae exempla in immensum augeri possunt. In his omnibus apparet, quod in Apulei dictione gravissimi ferme momenti est, **concinnitatis studium** immodicum. Concinnitas cernitur diversis speciebus: primum si singulae enunciationes certos argutosque et circumscriptos complectuntur ambitus aut verba verbis quasi demensa ac paria respondent. Deinde crebro etiam conferuntur pugnantia et pariter extrema terminantur eundemque referunt in cadendo sonum. Vix autem dici potest, quam creber ac nimius fuerit Apuleius in omnibus his dictionis flosculis (πάρισα. ἰσόκωλα. ὁμοιοτέλευτα) studiose appetendis. Ubique oratio iis referta quasi conectitur inter se et ordinatur comprehenditurque membris pariter relatis et tota fere iis nititur: inde magna proprietatum eius pars ducenda est*). Atque huius orationis coruscae numerisque rotundis et apte modulateque positis cum quadam aequabili circumactione devinctae affectatio, quantum ac quale scriptori quasi incitamentum fuerit et caussa, ne dicam necessitas, vocabulorum noviter pro desiderio vel arbitrio pangendorum, pluribus ex-

*) Ritter, die Schriftsteller Afrika's: Zeitschr. für Philol. u. kath. Theol. Heft 8. Köln 1833.

planare supersedemus. Nam talium argutiarum captatione multo acrius et paene religiosius adstrinxit sese, quam optimam puramque dicendi normam observavit. Simplici membrorum aequalitate non contentus plerumque aut fere semper facundiae currentis suavitatem ac modulatum auxit verborum similiter exeuntium parique sonitu respondentium cumulo. Sono autem pariter cadenti simulque quodammodo graviter atque cum pondere auribus se inferenti aptissime inserviebant tum deminutiva propter formarum aequalitatem, tum adiectiva longiore ambitu et cum pleniore ore edenda, in **-abilis -orius -undus** terminantia, deinde adverbiorum rariores in **-atim** exitus, et substantiva in **-men -mentum -bulum** finientia (praeter verbalium vocabulorum in **-tor -tio -tus** exeuntium multitudinem, ob derivationis facilitatem passim ad hunc solum usum novatorum): denique omnes eae formae, quae aut rara spectabilique fictione sunt aut exitus habent soni pondere insignes*). Rem exemplorum summa copia ac varietate illustremus: M. VIII. 550: *non laciniatim disperso, sed cuneatim stipato commeatu.* Flor. I. 38: *non singulatim ac discretim sed cunctim et coacervatim.* — M. XI. 752.: *nunc incrementis consequenter augeri, nunc detrimentis obsequenter imminui.* ib. 770: *mulieres candido splendentes amicimine, vario laetantes gestamine, verno florentes coronamine.* Flor. I. 5.: *colliculus sepimine consecratus vel truncus dolamine effigiatus vel cespes libamine fumigatus.* ib. IV. 90: *tonitruum sonora miracula, siderum obliqua curricula, solis annua reverticula.* ib. III. 61 *et sanis natabula et aegris medicabula.* Ap. 535 *noctium occursacula, bustorum formidamina, sepulcrorum terriculamenta.* M. IV. 384 *per. . et currum rapacem et terram tenacem et illuminarum Proserpinae nuptiarum demeacula et luminosarum filiae inventionum remeacula.* Flor. III. 64 *parasiti edaces et parentes tenaces et meretrices procaces* ib. II. 42 *Jovis benefica, Veneris voluptifica, pernix Mercuri, perniciosa Saturni* (sc. stella) M. V. 372 *non nuptiae coniugales nec amicitiae*

*) Non prorsus idem neque ex eadem origine profectum, sed iisdem vocabulorum formis concinnati paris sonitus studium apud ceteros quoque Afros passim animadverti potest: apud quos quidem non similiter perpolita ac minuta diligentia neque fortasse ad deliniendas aures tantum frequentatur. Certe similium vocum longiore circuitu gravius sonantium in-men-mentum, -culum finientium oppositiones, quarum ex Apuleio plurima collegimus exempla, et ex Tertulliano permultae (cf. Pall 1.) possunt comparari et ex Cypriano, velut de Orat. dom. 1. „magisteria-fundamenta-firmamenta-nutrimenta-gubernacula-praesidia etc.“

sociales. Flor. I. 19 *eboris strues et piperis messes et cinnami merces et ferri temperacula et argenti metalla et auri fluenta.* ib. III. 64 *obiurgator-opitulator-proeliator* ib. II. 41 *fluores-virores, volatus-volutus-cursus-gressus.* ib. IV. 83 *marmoratio-contabulatio-columnatio, eminentia-refulgentia-circumferentia, alucinatur-sermocinatur-vociferatur-periclitatur-furatur-gesticulatur.* M. V. 372. *montano scortatu-marino natatu.* Flor. I. 15 lyra eius auro *fulgurat,* ebore *candicat,* gemmis *variegat.* Verum his exemplis, quae in immensum poterant cumulari, terminationum diversarum similiter cadentium dedimus specimen. Sed non sonum tantum verborum respexit, verum etiam mensuram subtili et anxia prope cura aequare studuit: quod in exemplis supra congestis saepius usuvenit. Palmam vero summa arte limatae elegantissimaeque concinnitatis, et membrorum vel adeo syllabarum pari longitudine et sonitus aequalis arto concentu devinctae fert illud M. VIII. 515 *aper . . . pilis inhorrentibus corio squalidus, setis insurgentibus spinae hispidus, dentibus attritu sonaci spumeus, oculis adspectu minaci flammeus.* Praeter unum *(corio-spinae)* omnia accuratissime sibi respondent: in utraque enunciationis parte quatuor vocabula quadrupla vicissitudine sunt implicita. Cuius orationis calamistris quasi inustae quamquam luxuriam delicatam fastidimus, tamen artem operosam debemus admirari. Deinde, quum Apuleius plurimus sit in consectatione consonantiae concinnae, in initiis etiam vocum tales syllabarum concentus mirifice amavit: cuius generis sunt M. V. 333 *et inprimens oscula suasoria et ingerens verba mulcentia et inserens membra cohibentia* ib. IV. 243: Estur ac potatur incondite, *pulmentis acervatim, panibus aggeratim, poculis agminatim ingestis.* ib. IX. 620 mulier *saeva scaeva, virosa ebriosa, pervicax pertinax,* in rapinis turpibus avara, in sumptibus foedis profusa. DSr. 126. *pervicaci audacia pertinaci spe* M. X. 700 *famosa ac fabulosa fortuna* (cf. supra Flor. II. 42.)

Separandas ab his putavi alius generis nugas, quarum ars non membrorum concinnitate, sed sola parilitate soni vel levissima cernitur: ex quibus quaedam admodum insignitae sunt non solum primarum sed omnium fere assonantium inter sese literarum concentu, velut M. VI. 418 *atra atria Proserpinae* ib. VI. 395 *septem savia suavia*)* ib. V. 349 *mellita cantus dulcedine mollita* ib. I. 67 *sordis infimae infamis homo.* DSr. 122. *timida vel tumida.* Flor. I. 30: meum unumquodque dictum ad

*) Cf. Fronto pg. 128: nunquam mihi tam suavis tamque saviata visa.

limam et lineam redigitis, *cum torno et cothurno* verum comparatis. ib. III. 68 *ante letum abire quam lectum, potius implere fata quam fanda.* ib. II. 50: *Ruratio omnis in sarculo et surculo, quorum proventu magis fructuosa insula quam frugifera.* ib. III. 64 *differri auditorii coetum et auditionis coeptum coegit.* ib. I. 23 *ex rebus actis et auctis.* ib. I. 30 *parva quaedam et prava similitudo.* ib. I. 1. Ap. 519 *nullus locus aut lucus.* M. II. 119 *fortunam saevam an scaevam verius dixerim incidit.* ib. V. 325 *nemo pareret, chorus tamen esse pateret..* Plerumque sensus subtiliter affectata oppositio sustinetur congruenti in initiis maxime (quamquam non semper cf. Ap. 436 *facilius mergunt quam regunt*) sonitu velut Flor. I. 16: *Marsyas in poenam cecinit et cecidit.* ib. II. 38 *experti propter beneficium, expertes propter exemplum.* M. III. 231. *Sed mihi sero quidem serio tamen subvenit* ib. V. 329 *memineris meae seriae monitionis, cum coeperis sero poenitere.* Ap. 445 *non enim ubi prognatus, sed ut moratus quisque est.. nec qua regione sed qua ratione.* Haec quoque certe non casu sed consulto consonant M. X. 706 *iste corporis mei decor . . . peperit grande dedecus.* ib. IX. 629 *tenet nummos aureos manus Myrmecis, quae nec aereos norat.* Deinde ea quoque huc referenda sunt, quae in proverbii consuetudinem venerunt enunciata ut M. XI. 813: *inter sacrum et saxum positus.* Ap. 427 *albus an ater.* Subicienda sunt huic ordini tanquam additamenta eius consonantiae exempla, quae in mediis vocibus posita est, imparibus initiis. In quam classem retulerim etiam, quae mihi non fortuita videntur M. IV. 305 *gemens ac fremens indignatione* ib. V. 338. *Sic se gerebat ferebatque;* deinde haec: ib. VII. 477 *dentium candentium* ib. II. 151 *desolatus ad cadaveris solatium.* Flor. III. 46 IV. 84 DSr. 126 *ratio et oratio.* Ap. 425 *cuncta specula vel uda vel suda* M. XI. 768 *nudo sudoque splendore.* ib. XI. 807 *nec dies nec quies ulla.* Flor. IV. 91 *prorsa et vorsa oratione.* Mund 294 *cuius mensa pensaque distincta.* Flor. III. 67 *articulus loco concessit exque eo luxu adhuc fluxus est:* ubi levis allusionis gratia prorsus insolenter luxum usurpavit pro luxatione. Ap. 601. *O grave veneficium dicam an ingratum beneficium;* denique, quae proverbialiter dicta sunt Flor. IV. 85 *coniugatione quadam mellis et fellis. Ubi uber ibi tuber.*

Iam illius simplicis inter primas vocabulorum literas intercedentis consonantiae, quam nos vulgo κατ' ἐξοχὴν alliterationem appellare solemus, species omnes separatim colligendi nec consilium erat nec facultas, quandoquidem sero demum

ad eam intendimus animos. Hoc satis erit statuere, Apuleium in ea consectanda fuisse plurimum: quod gravissimis exemplis ex paucis libris (maxime M. II.—V.) desumptis illustrare non incommodum erit. Sunt autem multa, de quibus dubitari potest, casu an de industria soni praebeant quendam concentum: velut est, quod equidem in priorem ordinem nolui recipere M. VII. 470: colligatos *vino* magis quam *vinculis*. Levioris deinde momenti esse arbitror ea genera, qualia collegerunt, qui de eo usu scripserunt*) velut duo substantiva primis literis assimilata cf. M. XI. 755 *pausam pacemque*. IV. 254 *vi virtute*. II. 151 *luctus et lacrimas* I. 4 *figuras fortunasque* vel adiectivum cum substantivo suo assonantia coniunctum ut M. VI. 393 *melleis modulis* II. 107 *roseo rubore* cf. ib. II. 106. 134. 139. 163. III. 176 (plura) 183. 187. 199. (bis) 206 (plura) 208. 212. 222. 228. IV. 244. 249. 259. 267. 270. 273. 292. 293. 296. 297. 298. (bis) 303. (bis) 314. 316. V. 323. 324. 325. 327. 330. 334. 337. 344. 350. 351. 355. et innumeris aliis locis, vel duo adiectiva ut M. IV. 303 *floris sertis et solutis*. V. 363. *patulis ac petulantibus saviis* cf. ib. 329. 345. 339. 373. IV. 276. 296 (bis) II. 145. 153. 156 etc. vel verbum cum adverbio suo ut M. II. 112 *sensim sinuato* II. 130 *raptim remotis* IV. 263. II. 154. *diu deosculata* III. 215. *perpetuo pignera* ib. 194. *procul perhorrescens*. 203. *inclementer increpat*. IV. 309. *passim persultantes* ib. 247. *sedulo sentiatis*. ib. 314. *sero sentitis* V. 536. *protinus perpetrato* etc., multa similia genera alia: quorum omnium assonantia utrum fortuita sit an quaesita atque animadversa, diiudicare nequeo. Dubia illa etiam alliterationis duplicis exempla videntur, quae variata aut inversa sunt verborum adsonantium collocatione cf. M. II. 112. 116. 90. *per singulos angulos stantibus attolerabant statuas*, 127 *rosae serta et rosa soluta*. 129 *ne nervus rigoris nimietate rumpatur*. 166 *ridiculus lari me patrio reddere potui*. 183. *occurrentem pectore offenso peremo*. 186 *viduitati ac solitudini de vindicta solatium date*. IV. 316 *clade defessi clausae domus etc.* V. 318. 359 *primisque Veneris proeliis velitatis*. ib. 366. 378 *pectori violentiam scilicet perpetraturae venitis;* vel quae aliter collocata sunt M. V. 322 *refer et lectulo lassitudinem refove*. ib. 361. *genasque purpureas pererrantes crinium globos*. ib. II. 98 *amoris profundi pedicis aeternis alligat*. Ex ceteris exemplis cumulatae alliterationis, quae et oculis manifesta cernitur et auribus facile percipitur, pauca tantum proferam

*) Naeke Mus. Rhen. 1829 p. 324. cf. De usu alliterationis apud poetas Latinos scr. Loch. Regim. 1865.

cf. M. IV. 301 *profundum pelagi peperit.* 302 *insulas proximas et terrae plusculum provinciasque plurimas fama porrecta pervagatur.* 303: *verae Veneris vehementer incendit animos* 315 *sic profata . . pompae populi prosequentis se miscuit.* ib. 263 *vigore venerato, corpus . . convolutum mari celandum commisimus.* III. 176 *passim populus procurrens caveae conseptum mira celeritate complevit.* ib. 188 *factionis funditus formido perematur.* IV. 236 *in pratum proximum passim libero pastui.* II. 120 *circulo conseptus caveae circumstantium.* X. 750 *Paullatim furtivum pedem proferens portam quae proxima est potitus . . proripio* etc. Ad adumbrandam alliterationum frequentiam hi conferantur loci, in quibus tum leviores tum insigiores reperiuntur M. II. 82. 87. 107. 108. 110. 112. 114. 125. 132. 141. 153. (plures) 157. 166. III. 174. 178. (plures) 183. 184. 198. 200. 210. 220. IV. 240. 242. 243. 250. 257. 264. 267. 270. 274. 278. 282. 300. 302. 309. 310. 314. (plures) 315. V. 319. 322. 327. 329. 330. 331. 338 (plures) 345. 357. (complures) 358. 364. 368. 369. 380 etc.

Atque huic toti de consonantiae cuiusdam affectatione parti adiungam Apulei consuetudinem eam, qua verba originis eiusdem sed variata compositione et plerumque etiam notione, amat coniungere. Simpliciora sunt haec exempla Flor. I. 14 *praemulsis antiis et promulsis caproneis.* Ap. 421 *rhetori iurganti an philosopho obiurganti.* M. VII. 461 *deferunt-proferunt.* X. 677. *deductum abducit atque . . producit ad viam.* ib. 686 *venenum comparat idque vino . . praeparat;* maiore deinde arte affectata sunt M. VI. 437 *quas tibi gratias perhibebo, quos honores habebo, quos cibos exhibebo.* Flor. I. 3. *habenda oratio et inhibenda properatio est.* ib. I. 15 *magis reverita sit, minus verita.* Ap. 604 *existimationem tuam revereri, quam potestatem vereri.* ib. 558 *flore exoleto, flammeo obsoleto.* ib. 599. *qui potuit perorare, poterit exorare.* ib. 444 *spem tuli . . et gratiam retuli.* ib. 537 *non tam ignoscendi quam cognoscendi caussa* (cf. Ter. Heaut II. 1. et cognoscendi et ignoscendi peccati dabitur locus) DSr. 105 *repentina autem noscitis simul et ignoscitis.* Flor. III. 76 *ego perfectius quam vos effectius.* Frequentissima denique hac paronomasia videtur delectatus esse: Ap. 586 M. IX. 642 *suasi ac denique persuasi.* ib. VII. 454 *suasisse ac denique persuasisse.* ib. IV. 262 *Cumque nulli nostrum spontale parricidium suadens persuadere posset:* quocum conferas VIII. 571 *fortuna, quam per tot regiones iam fugiens effugere . . non potui.* Ne in versibus quidem, qui, si ex paucis admodum reliquiis de toto

eorum tenore iudicare licet, a soluta oratione praeter numeros certos non differunt nisi exaggeratis eius licentiis atque arteficiis, recessit ab his argutiis cf. Ap. 403 Pro *implexis* sertis *complexum* corpore redde: ibi enim implexi appositum plane supervacaneum est requisitum, ut complexus consonantia efficeretur sensus arteficiosa devinctio.

Huc etiam retulerim, quae alii parti non bene subicienda erat, eorundem vel eiusdem derivationis vocabulorum coniunctionem: quam Apuleius mirum quantum videtur captasse. Eiusmodi interdum otiosas repetitiones nota has: M. I. 64 *gratas gratias memini* (cf. Plaut. Trin. IV. 1. 2 et Poen. I. 1. 16) I, 35 *coenae gratae atque gratuitae* I. 63 *ut habitus et habitudo demonstrat.* ibid. *nihil hac fabula fabulosius* VII. 491 *mansuetos ac mansues exinde factos.* I. 37. *scortum scorteum.* VIII. 524 *nimium nimius plangere.* III. 230 *opulentiae nimiae nimio ad extremas metas deducti.* II. 119 *apud nos multa multis similiter effatus.* V. 342. *Placet pro bono duobus malis malum consilium.* IV. 257. *magnis artibus magnam dissimulabat opulentiam.* V. 360 *formosum deum formose cubantem.* VII. 455 *virum magnanimae vivacitatis volentem volentes accipite.* V. 321. *domus sine pretio pretiosae.* IV. 306 *idque unum et pro omnibus unicum effice.* V. 343. *adhuc infantilis uterus gestat nobis infantem alium.* ib. 338 *quovis puero pusiliorem.* Memorabile antem in primis exemplum consonantiae quoquo modo affectatae et ad taedium usque cummulatae legitur M. V. 363, ubi quamvis vulgo non Amorem sed Cupidinem appellet Veneris filium, alterum tamen nomen praetulit, quo consectaretur soni sensusque duplex oblectamentum sibi gratissimum: *Sic ignara Psyche in Amoris incidit amorem. Tunc magis magisque cupidine flagrans Cupidinis etc.* Simili fere modo cum eleganti variarum vocis notionum allusione dixit M. II. 150 . *oleum ad lucem luci sufficiens.* Cum hoc opponendi vel conectendi eadem aut similiter consonantia vocabula studio coniungi potest etiam mos scriptoris nostri in pronominibus ponendis latissime patens. Quum enim omnibus latinis scriptoribus collatio pronominum, maxime personalium ac possessivorum, ob concentum quendum admodum grata esset ac frequens, Apuleius eam amplificavit cumulatis sciteque compositis pronominibus, velut M. VIII. 545 *in suo sibi pervoluta sanguine* IX. 671 *se cum suo sibi asino* cf. ib. IV. 309 VI. 443 V. 321. VII. 471. 501. I. 29. 41. etc.: nihil enim est hac formula a comicis desumpta apud eum frequentius.

His fere absolvimus singulas variasque huiusmodi arteficiorum species et lepida nonnulla ludibria, quae ludit libentissime: quibus plerumque hoc commune est, ut vocabulis cum sonitus aliqua similitudine conexis sive oppositis, sensus etiam contineatur subtilis collatio vel oppositio. Totius huius generis delicias quam studiose appetiverit ac frequentaverit in carminibus, facile cognoscitur ex paucis eius versibus his Ap. 402. 403, quos totos iuvat transcribere:

. . . . me *ignis et ignis* torreat ut vult
Hasce duas flammas dum *potior*, *patiar*.

et ibid. paullo infra:

Serta autem, ut laeto tibi *tempore tempora* vernent,
Aetatis *florem*, *floribus* ut decores.
Tu mihi da contra pro *verno* flore tuum *ver*,
Ut nostra exsuperes *munera muneribus*.
Pro *implexis* sertis *complexum* corpore redde
Proque *rosis oris* savia purpurei.

Atque tota haec Apulei gravissima proprietas, sita in orationis pariter relatis et assimulatis inter se membris colligatae affectatione nimia, unde originem duxerit, quaeritur. Equidem statuerim duplicem eius fontem: nam et sophistarum recentiorum et comicorum veterum imitatus est genus dicendi. Etenim et sophistae sagaces oppositiones sensus, quas sententiarum sibi respondentium diligenti concinnitate verborumque pariter cadentium aequabilitate adiuverunt, sectati sunt, et comicis concentus vocum maxime in initiis positus frequentissimus est. Quorum utrorumque proprietates Apuleius non recepit tantum sed amplificavit exaggeravitque ita, ut tota eius oratio eiusmodi concinnis et argutis et consonantibus oppositionibus concluderetur ac niteretur. Sed ab antiquis comicis paullo differt ratione. Illi enim leviorem sonitus congruentiam appetiverunt quidem: quae tameu adeo fuit naturae linguae innata tamque arte cum poesis indole conexa, ut non subtilis arteficii prae se ferat speciem. Apuleius contra eam ubique, (praeter certas formulas, quae fortasse, ut apud nos similes, vulgatae erant) summa diligentia requisivit, ostentandae artis gratia, eamque, ut totius orationis habitum, non aliter nisi artificiose affectatam ipse vult accipi.

Atque hinc quaestio aptissime deducitur in aliam partem, quae est de universa eius **antiquorum imitatione**. Disseruimus supra de totius illius aevi priscorum scriptorum admiratione

linguaeque cascae studio. Diversa autem fuerunt singulorum tam ingenia quam studia multumque a Frontone Gellius distat, ut omittamus Apuleium: quorum prior ad Enni et Catonis inprimis duram virilitatem adspirans, qua erat ingeni sobria tenuitate nihil ipse ex se concipiens sed totus in obsoletorum temporum recordatione positus, operose ex priscis lectionibus inelegantem consarcinavit orationem, alter Plautini leporis simplicitate captus ad comicorum imitationem sese applicavit, ex quibus inusitata dicta in suum usum se notasse ipse refert N. A. III. 3. nimirum ut prisco quodam colore respergeret orationem. Longe aliter Apuleius versatus est, qui quamvis multa et fortasse plura, quam primo adspectu videatur, antiqua prorsusque obsoleta verba receperit, tamen aliquantum ab orationis prisca quadam specie remotus est. Neque enim illa antiquitatis verecundia eiusque castitatis admiratione commotus, qua Fronto fuit, priscae consuetudinis verba revocavit: sed ut eorum illecebris orationem docte exornaret, rhetorum praecepta secutus, non aliter atque eam omnibus rhetoricae artis exquisitissimis munditiis distinxit. Itaque miror Ruhnkenium in praefatione editionis Oudendorpianae ita de hac re disseruisse: *tantum affuit, ut sibi in hoc genere temperaret, ut potius e casca vetustate orationem conflaret* vel si paullo infra ei *modo cum Cicerone et similibus modo cum Evandri matre* loqui videtur. Sed si totum dictionis tenorem priscum aut ad vetustatis imitationem adaptatum esse negamus, eo non infitiamur, totos refertos esse libros veteris consuetudinis vocibus proprietatibusque; quae, qua ratione aptissime tractentur, in initio partis eius, quam breviter grammaticam diximus, paucis explicabimus.

Proximum est, ut de proprietate scriptoris ad universum orationis colorem gravius pertinente quam ad linguae usum grammaticum, disseramus. **Ex poetarum** enim thesauro non tantum permulta verba depromit, sed etiam per totam enunciationum seriem ad eorum vel copiosam venustatem vel grandem excelsitatem adscendit. Atque, quae erat naturae eius fervida alacritas ac profusa ubertas, hoc ei cavendum fuit, ne sententiarum ac verborum nimia cumulatione ac varietate opprimeret deleretque orationis elegantiam: in quod vitium prae ingeni „nimietate" (sit venia vocabulo Apuleiano) ubique fere incidit. Libentissime autem uberae imaginandi indoli luxuriantique describendi arti indulget sophistarum more, id quod supra commemoravimus, in de-

pingendis rebus aut arte aut naturali amoenitate insignibus. Velut solis exortum descriptionibus splendidis magis quam poeticis solet variare cf. M. VII. 446 *Ut primum tenebris abiectis dies inalbebat et candidum solis curriculum cuncta collustrabat* III. 172 *Commodum punicantibus phaleris Aurora roseum quatiens lacertum coelum inequitabat* (utrumque exemplum in librorum initio legitur) IX. 647 *cum primum rota solis lucida diem peperit.* XI. 767 *noctis atrae fugato nubilo sol aureus exsurgit.* II. 82 *Ut primum nocte discussa sol novus diem fecit.* Sic ceteras quoque diei partes aut insolitis aut pluribus, quam opus fuit, verbis depingit, velut M. XI. 803 *sol curvatus intrahebat vesperam.* X. 751 *ultimam diei metam curriculum solis deflexerat* vel illud M. II. 153 *Commodum noctis inducias cantus perstrepebat cristatae cohortis;* denique de anni vicissitudinibus confer M. XI. 810 *Ecce transcurso signifero circulo sol magnus annum compleverat.* IX. 654 *Sed ecce siderum ordinatis ambagibus per numeros dierum ac mensium remeans annus post mustulentas autumni delicias ad hibernas Capricorni pruinas deflexerat.* Verum praeter huiusmodi reliquasque descriptiones, ubique occurrit, sive de formicis legis M. VI. 400 *terrae omniparentis agiles alumnae* sive XI. 763 *qui nascentis dei Solis inchoantibus illustrantur radiis Aethiopes* etc. poeticus orationis color tam frequens, ut exempla proponere supervacaneum sit. Neque tamen eas poetis proprias locutiones conferre inutile est, quas solitis usuque tritis vocabulis non semel sed saepissime potiores habuit. Quales sunt M. III. 219 *rore fontano* II. 83 *fontanos latices* III. 206 *litat vario latice* et *iubar* pro sole M. I. 58 IV. 243. II. 83. VIII. 588 et *mucro* pro gladio cf. III. 179. 182. 202. V. 344. et *lar* innumeris locis pro domo, varia et non nunquam insolita usurpatione cf. M. II. 116. IX. 620. 643. 649. 652. XI. 790. 792 *larem temporarium mihi constituo,* IV. 262 *in alienos lares abiiceret.* VIII. 568. V. 327. 333. 342. 337 *extorres et lare et patria* etc.; deinde *vestigium* variis poeticae consuetudinis enunciationibus frequentatur, velut M. II. 91 *instabile vestigium roscidis plantis decitantes.* V. 357 *nudoque vestigio pensilem gradum paullo minuens.* VIII. 516 *cominus contulerant vestigium.* V. 391 *Quo . . vestigium porrigam.* ib. 368 VIII. 560 *lassum trahens vestigium.* II. 100 *celero vestigium.* VI. 405 *gradum celerans* (cf. Verg. Aen. IV. 641. Sil. I. 574); tum alia similia, ut M. II. 155 *palmis infestis latera suffodere* cf. IV. 291 III. 221. 224. ib. I. 21 *spatham mucrone infesto devorasse ac . . lanceam qua*

parte minatur exitium vel II. 110 *frequenti sobole spissus* (sc. capillus) XI. 768 *arbores pomifera sobole fecundae* ibid. (de arboribus) *motu bracchiorum.* X. 744 *Veris coma* Mund. 340 *viridantibus comis caesariatam esse terram.* M. V. 367 *comam fluvii tondentes capellae.* Ex appositis poetici usus propriis (M. II. 83. III. 219 *fontanus.* IV. 277 *roridus* cf. Prop. IV. 4. 48.) ea tantum memoremus, quae aut in-fer derivata aut longiore compositionis ambitu ficta sunt, velut M. VIII. 552 *ignifer* Ov. VII. 469 *soporifer* Verg. Ov. X. 747 *legifer* Verg. X. 698 *somnifer* Ov. II. 115 *armiger* DSr. 133 *salutiger* X. 763 *sagittifer* Ov. VI. 400. VIII. 574 *omniparens* Lucr. Verg. ibid. XI. 784 *omnipotens* Verg. Mund. 355 *omnituens* Lucr. Val.Fl. multa similia. Verum singulas poetici moris locutiones vocesque enumerare longum est. Deinde huc adnecti possunt quaedam figurae, velut enallage sive commutatio, qua, quod ad prius substantivum pertinet appositum, alteri iungitur vel versa vice. Per cuius speciem explicari solent huiusmodi loci M. VIII. 542 *perpetuae conscientiae stimulum* XI. 761 *Arabiae felicia germina.* IV. 240 *pedum posterioribus calcibus.* VI. 443 *pinnatam Pegasi vincebas celeritatem.* X. 682 *utrimquesecus iactatatae crebriter laterum mutuae vicissitudines* VI. 410 *inter trisulca vibramina draconum* et per insolentiorem immutationem M. IX. 596 *pestilentiae letalis pervicaci rabie possessus* pro: pestilentia letali pervicacis rabiei, vel VIII. 511 *contentiosa pernicie . . impellitur* pro: perniciosa contentione. Ex eodem quaesitioris orationis studio frequentes ortae sunt appositorum cum vocabulis coniunctiones, et cum vocum tenui angustia et sensus strictissima circumscriptione positae, ad quas sermone sinceriore exprimendas longiorum verborum ambitu opus est. Cuius generis sunt haec M. I. 63. *in amnis vicinia sempiterna* XI. 774 *vestigium continuum sequebatur* XI. 792 *ad meum diurnum reducemque ab inferis conspectum* IX. 613 *farinam pervigilem lucubrare* (cf. Juv. XV. 43 pervigili toro); deinde apposita utriusque genitivi et obiecti et subiecti loco usurpata quibus distingueret orationem a forensi sermone velut M. VI. 444 *virginalis fugae magister.* V. 333 *maritale praeceptum* XI. 803 *cibaria voluptas* IX. 644 *herili contumelia me cruciatum* VI. 418 *polentarium damnum* Mund. 331 *inquietudo terrena* (sc. terrae), innumerabilia alia. Atque huic parti subiungamus etiam figurae non quidem poetis tantum verum etiam oratoribus familiaris usum frequentiorem, repetitionem dico. Huc refer. M. II.

162 Desine iam, precor, desine. ib. 164 Dabo inquit, dabo vobis. X. 697 Non patiar, inquit, hercules non patiar, et alia cf. M. XI. 783. III. 201. Flor. I. 29. III. 62. 72. Ceterum singulas locutiones poeticas ad certum cuiusdam poetae locum referre *) non operae est pretium. Sunt enim ex scriptoris linguaeque indole profectae, non ex poetarum lectione conformatae idque inde etiam patefit, quod profecto non potuit imitari Claudianum Rapt. Pros. II. 25: Ante genas dulces quam flos iuvenilis inumbrat, quum scripsit M. V. 335 *iuvenem . . barbitio genas inumbrantem.*

Atque cum hoc orationis poetico colore quasi externo arcte cohaeret omnis modi **translationum usus** liberrimus: de quo nunc disputandum est. Nam abundanti earum frequentia insolentique audacia efficitur orationis non levis neque omittenda proprietas. Secernendae autem primum sunt imagines fusius per totum enunciationum ambitum productae et singula verba simpliciter translata: quae quidem, quale erat scriptoris ingenium, aut contorte et cum nimia affectatione aut prave atque improprie usurpata sunt. Ac primum quidem per totam sententiam Apuleius raro figurate loquitur: in quo id nos maxime taedet, quod rem collatam inmiscet tropo, quo utitur mixtamque ita comparationem tam accurate servat, ut nimia ista observantia deleatur, ad quod solum metaphoras desideramus, orationis tum venustas tum congruentia. Velut hoc de Psyches sororibus tumidius atque inlepidius dictum est M. V. 355 *Tunc nanctis iam portis patentibus nudatum sororis animum facinorosae mulieres, omissis tectae machinae latibulis, destrictis gladiis fraudium simplicis puellae paventes cogitationes invadunt.* Illud etiam M. V. 344 . . *sanguis inimicus iam sumpsit arma et castra commovit et aciem direxit et classicum personavit* similitudinis nimia productione parit taedium. Separatum metaphorae genus, iam inde a poetis Augusti aetate florentibus frequentatum et ab Apuleio per tota capita taediose continuatum id est, quod ex militaris disciplinae proprietate desumptum transfertur ad res amatorias (in quibus aliae quoque translationes frequentes sunt: M. II. 116 *hac enim sitarchia*

*) velut M. IV. 290 assiduis singultibus ilia quatiens ad Verg. Aen. IX. 415 longis singultibus ilia pulsant vel VII. 469 vino sepulti iacebant ad. Ennium et Verg. Aen. II. 265 . . vinoque sepultam, vel III. 206 capillos . . dat vivis carbonibus adolendos ad Ov. Fast. III. 803 . . flammis adolenda dedisset.

navigium Veneris indiget. IX. 630 *novis amplexibus Amori rudi litabant*) velut M. II. 133 *amatoriae militiae brevem commeatum indulgere* V. 359 *Veneris proeliis velitatis* (verbum velitandi aliter translatum cf. M. VII. 474. VIII. 575. X. 592. 622. 649. 663. Ap. 380.) IX. 630 *commodum prima stipendia Veneri militabant nudi milites.* II. 126 *gladiatoriae Veneris antecoenia:* cf. ib. 114 129. 131, qui loci eiusmodi sententiis referti sunt. Quibuscum conferas similia ad alias res translata: M. IV. 244 *mereri caussariam missionem* (cf. ib. II. 133. Petron. cp. 21) et de Isidis ministeriis: XI. 784 *da nomen huic militiae sanctae.* ibid. *sacramento - rogabaris.* ib. I. 8 *Ibi linguam Atthidem primis pueritiae stipendiis merui.* DSr. 152 *emeritis stipendiis vitae* (Plaut.) V. 352 *pervigili cura rebus tuis excubamus.* ib. 362 *periculum velitatur fortuna eminus. Mox cominus congredietur.* Ex iurisconsultorum usu oriunda sunt haec: M. IV. 278 *cohortem . . velut expilationis vadimonium sistimus* IX. 635. *amatorem . . vadimonio sistam.* III. 195 *Prohinc epulare vadimonium differamus* VI. 441 *in caussa finali de proprietate soli immo viae herciscundae contendentes.* IX. 627 (de femina) *commissae provinciae fidem tuebatur:* a quibus separari velim per ludibrium ad iuris actionum similitudinem enunciata, velut Mercuri praeconium M. VI. 394 extr. 395 in. et Cupidinis Psychen a se pellentis verba V. 369 extr: *confestim toro meo diverte tibique res tuas habeto* sollemnisque formula ridicule adhibita M. II. 102: *Quod bonum felix et faustum itaque sit . . . Fotis illa tentetur.* Alia deinde singula colligamus promiscue: M. X. 725 *bullire indignatione.* V. 359 *aestu pelagi similiter moerendo fluctuavit.* XI. 814 *cogitationis aestu fluctuantem.* IV. 238 *cum in isto cogitationis salo fluctuarem.* III. 187 *de latronis huius sanguine legibus vestris . . . litate.* V. 376 *pellicatus puellas propinare.* (Enn.) Flor. III. 79 *vox in vagina silentii condita; expugnare ferociam* IX. 663, *spiritum* IX. 649, *disciplinam* ib. 627, *patientiam* VII. 461. V. 327 *interfecta virginitas**). Quantopere in singulis verbis aut nimis audacter ac fere ridicule aut perperam atque inproprie translatis lascivierit, ex his collige M. IV. 287 *fauces diutina fame saucius et araneantes valenter exerceo* i. e. araneorum telis obtextas, ad instar aedium, quae cum usu careant, araneis obducuntur. VII. 481 *pugilatur ungulis.* ibid. *dentium . . hastis.* V. 347 *perula* de gravidae fe-

*) a Tertulliano passim de rebus inanimis usurpatur: Apol. 48. lux interfecta. Res. Carn 3. nec interfecerat substantiam. ib. 5. interfector veritatis. Pudic. 4. pudicitia trucidatur, similia.

minae utero. IV. 278 *domus alveo receptis* (sc. nobis). VII, 461 *poculis magnis inauguratur* de latronum duce dictum deque eorum manu saepius cf. VI. 444. IV. 278: *secta, collegium.* IV. 270 *semivivorum corporum ferina naufragia* (de ursis). I. 43 *iniecto non scrupulo sed lancea:* alia cf. M. VIII. 557. III. 182. VIII. 554. Illud *commorsitantes oculi* M. X. 720 quamvis audacter dictum sit, tamen magis temerarie sed non insulse depingit Venerem M. X. 745: *nunc mite conniventibus nunc acre comminantibus gestire pupulis et nonnunquam saltare solis oculis:* quod inaudite atque unice cogitatum putassem, ni Ennianum adhibuissem simile quiddam, quod Gellius nobis prodidit N. A. XVIII. 5. 10 *oculis equitare videmus.* Verum eiusmodi callida et arguta translatio interdum cum dura nimisque detorta sensus immutatione coniuncta est, velut si dicit V. 319 *efferare argentum* quasi: in bestiarum speciem transformare sive bestiarum imaginibus caelare.

Sunt autem tam multae huius similes dictionis insolentiae, quae non bene poeticae vel figuratae orationis speciei subiciuntur, ut separatim de iis agere necesse sit. Cuius partis, quam in universum **de locutionum proprietatibus** esse volumus, difficile erit instituere ac servare strictam et accuratam quandam dispositionem: itaque, ut quodque maxime insigne, praecipua cura prae ceteris eligamus. Ac primum singulare eius studium in eo observavimus, quod eidem verbo diversa duo vocabula libenter apponit ita, ut duplici ratione id verbum saepius referendum sit et interpretandum: cuiusmodi enunciata proponamus haec orsi a vulgarioribus: M. X. 730 *patrimonio imminebat et capiti.* VII. 470 *colligatos vino magis quam vinculis* IX. 661 *suspendium sese et totis illis et legibus mandare proclamans.* VI. 445 *non pedibus sed totis animis in eius vadunt sententiam* I. 43 *iniecto non scrupulo sed lancea* V. 363 *ex oculis et manibus avolavit.* V. 327 *ad parentum suorum conspectum affatumque pervexerant.* III. 183 *domo hospitum ac salute communi protecta.* I. 81 *somno non cibo gravatus.* II. 171 (me) *lecto simul et somno tradidi.* II. 82. *et somno simul emersus et lectulo.* II. 106 *et ollam et lectulum . . . quatere novi*: quorum alterum obsceno sensu intelligendum est. II. 98. *in eum et oculum et animum detorquet.* Denique audacissima eadem illa brevitate positum est M. I. 65: *sine fatigatione sui* (sc. equi) *me non dorso illius sed meis auribus provecto:* de eo, cui comitis lepidis narratiunculis viae molestiae levantur. — Huiusmodi ludicris

sententiis adiungam oxymoris similes studiose quaesitas velut Mund. 292 *inordinatum ut sic dixerim ordinem servant.* M. II. 112 *inordinatus ornatus.* IX. 617 *farinulenta cinere sordide candidati.* XI. 758 *palla nigerrima splendescens atro nitore.* IX. 614 *ut . . reciproco gressu mea recalcans vestigia vagarer errore certo.* V. 314 *vivum producitur funus et lacrimosa Psyche comitatur . . exsequias suas.* III. 214 *exterminatus animi vigilans somniabar.* Ceteras argutias, quae partim ex rerum ipsarum mira specie manaverunt, paucis his et inconditis adumbremus exemplis: M. XI. 784. VII. 474 *honoribus . . asino meo tributis* (sc. ipsi, qui asini formam induerat). XI. 755 *Depelle quadripedis diram faciem . . et redde me meo Lucio.* similia III. 221. 232. M. II. 121 *ille Chaldaeus egregius mente viduus necdum suus.* III. 214 *stupore defixus quidvis aliud magis videbar esse quam Lucius.* II. 153 *Sic inanimis . . paene ibi non eram.* III. 196 *Fotis . . sui longe dissimilis.* I. 28 *paene alius lurore ad miseram maciem deformatus.* VI. 422. *Et iacebat immobilis et nihil aliud quam dormiens cadaver.* VI. 445 *quid aliud quam meum crastinum deflebam cadaver:* quod est multo intolerabilius quam si dixisset: meam crastinam mortem.*) Brevius haec etiam dicta sunt

*) Nescio qua ratione hic maxime interposuerim contortam et ipsam orationis speciem, quae ex studio exaggerandi vel exacuendi notiones provenit: quamquam pleraque ad partem grammaticam spectant. Primum huc referenda sunt apposita insolenter adaucta ut Ap. 380. 593. M. IX. 637. 648 admodum puer. II. 144. oppido puer. — VII. 486. Videtis istum pigrum tardissimumque et nimis asinum. X. 703. Non enim tam stultus eram tamque vere asinus (de his: IV. 306 tam infimus. Ap. 398. tam proxumum cf. infra) DPl. II. 247 oppido deterrimi" quodque omnibus audacius est M. II. 153 . . discerneret duobus nobis iacentibus quis esset magis mortuus. Apol. 443. neque una pelle vestitior fuit neque uno baculo comitatior. M. IX. 674. X. 732. certo certior. V. 338. quovis puero pusiliorem. ex frgmt. apud Prisc III. 99. penitiorem partem domus cf. DSr. 155 penitissimus Plaut. Gell. Deinde nota superlativa forma notioneque acrius intensa. M. VII. 449. I. 37. si quid est tamen novissimo extremius. DSr. 126 nullum animal in terra homine postremius. Ap. 594 cum adulescentulis postremissumis Tert. Gracch. ap. Gell. XV. 12. 3. Denique quod Apuleianae dictionis insigne est specimen, paenissime M. VIII. 523. Ap. 595. ex eadem affectatione quaesitioris quam modestioris orationis manavit. Atque haec una quoque particula tam tenuis inter indicia referri potest linguae non iam suis viribus vigentis sed subtilibus arteficiis vigoris falsi splendorem affectantis. Quamdiu enim lingua latina suis ipsius virtutibus florebat, ipsa suae simplicis et incomptae facundiae gratia ac venustate contenta, tamdiu eiusmodi argutiis sagacibus carere potuit: ad quas tum demum est descensum, quum coepit labi atque corrumpi.

M. X. 687 *fratri suo paratam mortem ebibit* (cf. Lucan VII. 517) X. 726 *ut . . emeret mortem mariti sui* (sc. venenum) XI. 778 *salutem ipsam meam gerens* (sc. coronam). IV. 272 *gaudii sui gerulis* (sc. ursae). IX. 662 *prosternitur saevisque illis . . canibus instruit nefariam dapem* IV. 268 *suis epulis bestiarum saginas instruentes.* ibid. 269 *Advenerant generosa illa damnatorum capitum funera* multa alia. Quantopere autem his exquisitissimis dicendi insolentiis immutetur linguae consuetudo legitima, uno exemplo proposito illustrem M. V. 340 . . *efflari et exsibilari nos iussit.* Exsibilandi enim verbum ad usitatam significationem alludit quidem, sed de Zephyro dicitur iussu Psyches sorores flatu suo efferente nullaque re nisi ea allusione a praecedente efflandi verbo diversum est.

Neque tamen haec faceto genere verborum incitata et exornata dictio seiuncta est ab ea, quae incondita vastaque verborum mole moleste cumulata nativae ubertatis perdit gratiam ac venustatem. Utraque ratio ubique coniuncta apparet: utrique hoc commune est, ut vulgaris simplexque loquendi consuetudo novo distinguatur flore ac lumine: quae quo rariora erant novitate atque audacia, eo Apuleio gratiora. Illam vero propriam Latinae orationis perspicuitatem pressam ac dilucidam funditus delevit. Atque huius tumidae tumoreque putidae dictionis auxit molestias et salebras, quum voluit amplificare gravitatem et excelsitatem, tum verborum sonantium ac paene enormium congerie, tum sententiae non flexilis sed flexuosae ambagibus. Ad quod illustrandum exemplis contineamur paucis: M. VI. 385 *Proserpinae nuptiarum demeacula — filiae inventionum remeacula.* II. 114 *Iamque aemula libidine in amoris parilitatem congermanescenti mecum.* V. 364 (Psyche) *sublimis evectionis miseranda appendix et per nubilas plagas penduli comitatus extrema consequia* etc. Iam in rerum simplicissimarum descriptione animadverte ad tardum difficilemque verborum ambitum velut M. XI. 778 *eius* (urnulae) *orificium in canalem porrectum longo rivulo prominebat. Ex alia vero parte multum recedens spatiosa dilatione adhaerebat ansa* etc. vel III. 220 *alternis conatibus vibratis bracchiis.* II. 173 *palmulis in alternas digitorum vicissitudines conexis.* X. 697 *pedes incertis alternationibus movere.* — II. 165 *vicariam pro me lanienam susceptavit* (sc. pro me laniatus est) X. 705 *se . . . nullam denique subreptionem factitasse* (i. e. nihil subripuisse.) Non omittendus est in his non infrequens usus pluralis numeri vocabulorum, quae dicimus ab-

stracta: qui non solum in turgida, sive malueris praegrandi oratione, sed omnino saepius apud Apuleium reperitur quam apud antecedentis aetatis scriptores, quemque immodice frequentaverunt posteriores, inprimis Tertullianus. Huc igitur refer.: M. III. 220 *immodicis horripilant auctibus.* VI. 382 *discursibus* ib. 393 *incessibus.* XI. 795 *apertiones.* ib. 804 *intellegentias.* ib. 817. *disseminationes.* ib. 766 *castimoniis* cf. III. 184. 186. IV. 246. V. 335. 355. Ap. 529. 535: Flor. II. 41. IV. 87. — Asc. 292 *commodationes.* 293 *admirationes.* ibid. *adorationes.* DPl. I. 200. *obscuritates.* DSr. 159 *hostiarum cruores et colores* etc.

Atque haec omnia de Apuleianae dictionis proprietatibus putavi necessarie ante exponenda esse, quam singulas aggrederer locutiones. Nam in plerisque iisque etiam simplicissimis eadem cernitur ratio eademque affectatur aut ponderosa duritia aut audax translatio aut omnino aliquae inusitata novitas, qua immutetur solitae consuetudinis species. De nonnullis, quae a communi usu leviter tantum differunt quaeque neglegenti fere simplicitate ad vulgaris sermonis minus exculti inopiam accedere videntur, insequenti parte disseretur. Iam exempla proponamus, quantum fieri potest, ordinate M. VIII. 570 *in meas fortunas ridiculos construebat iocos.* IX. 622 *scenas fraudulentas in exitium mariti . . construebat.* II. 133 *Ad cuius noctis exemplar astruximus alias plusculas.* III. 195 *quem ipse fabricaveram risum obviorum declinans.* VI. 445. *mortem sibi fabricare.* VII. 466 *prandium fabricatur.* — Mund. 336 *salutem operi machinatam.* M. III. 197 *angorem istum tibi concinnasse.* ib. 194 *iussis tuis obsequium commodare.* IX. 613 *lucubrare . . farinam pervigilem.* III. 210. IV. 316. XI. 806. X. 712 *domuitionem parabat.* II. 168 *titubante vestigio domuitionem capesso.* XI. 788 *ad fanum reditum capessunt.* VI. 258. VIII. 553. *nulli contra nos aditum tulerunt.* XI. 808: *Romam versus profectionem dirigo.* I. 23 II. 141. *fabulam remetire.* III. 193 *sermonis vicem refero.* IV. 259 *lenem gradum et obnixum silentium tolerans.* ib. 281. *premens obnixum silentium vestigium suum replicat.* Inproprie dicta sunt etiam haec M. VIII. 543. 567, 537. etc. *omnique comite viduatus.* XI. 793 *Nec fuit nox una . . . visu deae monituque ieiuna.* IV. 198 *caussam nudari gestiens.* Ap. 526 *caput . . capillo populatum.* II. 134. III. 182 *gladiolo, qui me . . comitabatur* I. 62. *eamque* (sc. spongiam) *parvus admodum comitatur cruor* (quocum cf. M. I. 80. VI. 442. II. 117 *dictum risu secutus*

III. 203 *verbum facto secutus*). Ab optima dicendi norma distant paullo, etsi minus insolita sunt, haec quoque: M. II. 129 *ede complexus amabiles*. VII. 496: *vocem quiret humanam dare*. VI. 416 *nulla voce deprompta tacita praeterito*. II. 164 *capit praesentem audaciam*. XI. 815 *laetum capesse gaudium*. III. 197 *cape de perfida muliere vindictam*. II. 150 *Quin sumis . . luctus et lacrimas*. IV. 282 *Scenam denique, quam sponte sumpserat . . retinens*. XI. 809 *gratiarum gerendarum sermone prolixo commoratus*. XI. 769 *Hic . . militem gerebat* (i. e. militis personam) IV. 246. *lassitudinem . . pulveris volutatibus digerebam*. V. 349. *Iubet citharam loqui . . . tibias agere*. IX. 597 *excubias agitaverant*. M. I. 18 *qui sermonem ieceras priorem*. ib. I. 25 *audite quo quaestu me teneam*. IX. 699 *fabriles operas praebendo . . vitam tenebat*. III. 203 *Iam de fuga consilium tenebam*. X. 769 *mille armatorum ducatum sustinebat*. VII. 457 *pervigilem curam sustinens*. V. 336 *diversam sortem sustinere* IX. 620 *coniugem extremas poenas tori larisque sustinebat*. Neque illa quidem praetermittantur: IV. 241 *mihi praesens crearent exitium*. V. 328 *mihi dolorem . . tibi exitium creabis* (VII. 468 *exitium mihi parabis*.) II. 101 *cum somno concederes*. 134 *coenae me committo*. I. 79 *cubiculum me reporto*.

Verum his locutionum tum contortam tum leviter tantum a consuetudine immutatam rationem satis mihi visus sum adumbrasse. Proximum est, ut de gravissimis duobus Apuleianae dictionis proprietatibus pauca verba faciam, illis dico plebei et Africi sermonis indiciis: quae quamvis ubique ei addicta invenerim, ubi explicata sint non reperi.

Ac primum igitur **de vulgari orationis tenore** disserendum est: quam partem non aliter possumus assumere, nisi angustis doctrinae tenuis adhuc nostrae regionibus circumscriptam. Secernendae autem primum sunt diversae eius species: utrum enim plebeiam Latinitatem an vulgarem loquendi consuetudinem dixeris, aliquid refert. Altera enim cernitur verbis sordidis ab eruditorum dictione remotis, altera formulis continetur locutionibusque certis in quotidiano usu frequentibus: quae quamvis neque indoli linguae neque legibus adversentur, tamen notandae sunt, quoniam apud plerosque scriptores non occurrunt, quippe qui maxima ex parte res a vitae vulgari consuetudine semotas tractent. Unde etiam fit, ut, quae Ciceronis dissimillima ab Apuleio oratio cum eo habeat communia, plerumque in epistolis ad familiares scriptis inveniantur. Maximi

autem momenti omnibusque potiores adhibendi sunt veteres comici, quorum etsi non eadem fuit cum vulgari forensique oratio, tamen istius nixa est quasi fundamento indeque plurimas sumpsit gratissimasque Romanis proprietates ac potissimum sales. Sed quum in ea pernoscenda non tantum temporis contriverim, quanto ad indaganda huius vulgaris coloris vestigia opus est, ante me veniam petere necesse est, si non plena et absoluta, sed rudia tantum et inchoata proferam. Ac primum quidem facile observatur proverbiorum et proverbialium dictionum vulgi ore frequentatarum apud Apuleium maior numerus, quam apud alium quemquam rerum scriptorem*). Huc numera M. III. 216 *meque sponte asciam cruribus meis illidere compellis* (cf. Petron. cp. 47 ipse mihi asciam in crus impegi). V. 423. IX. 638 *ad armillum revertit:* de eo dicitur, qui ad nativos mores, quos exuit sed totos desuescere nequit, regreditur. VII. 468 *Revera ludis de alieno corio* cf. Tert. d. Pall. 3. Mart. III. 16. XI. 813 *quod ait vetus proverbium inter sacrum et saxum positus cruciabar* (cf. Plaut. Capt. III. 5. 5. 84 . . . nunc ego inter sacrum et saxum sto). IX. 675 *Unde etiam de prospectu et umbra asini natum est frequens proverbium* Graeci ὑπὲρ ὄνου σκιᾶς translatio; deinde huiusmodi sententias ad proverbiorum similitudinem propius accedentes: Ap. 499 *Non enim ex omni ligno, ut Pythagoras dicebat, debet Mercurius exsculpi.* ib. 542. *Saepe audivi non de nihilo dici, mendacem memorem esse oportere.* ib. 492 . . *qui aiunt hominem liberum et magnificum debere . . in primore fronte animum gestare* (cf. Enni versum, quem Gellius N. A. XIII. 8 memoratissimum dicit: Amicitiam atque inimicitiam in frontem promptam gero.) ib. 563 *epistola . . pro me scripta in memet ipsum vertit cornua* (cf. Plaut. Pseud. IV. 3. 5 . . obvortat cornua) ib. 529 *homini rustico fumum vendidit.* ib. 526 *Quid sit diei, vides.* ib. 520 *Sed quid de me Mezentius senserit, manum non vorterim.* Gratissimus erat ut etiam apud nostrates, in eiusmodi locutionibus sonitus concentus, velut Flor. IV. 85 . . *ut in amplissima quaque laetitia subsit quaepiam vel parva querimonia coniugatione quadam mellis et fellis* (Plaut. Cist. I. 7. 1.) ibid. *Ubi uber, ibi tuber*; denique notissimum illud Ap. 427 *te nuper usque albus an ater esses ignoravi.* (Plaut. Poen. III. 7. 99. Cic. Phil. II. 16. 41).

*) Non incommodum videatur addere quod Sosip. Charis. lib. II. extr. nobis tradidit „Mut facere non audet: ut apud Apuleium Platonicum scriptum est de Proverbiis libro secundo.

Verum praeter has insigniores, multae praeterea occurrunt formulae, quae aut apertiorem aut leviorem quotidianae consuetudinis ostendunt similitudinem, quas in certos ordines redigere difficile est quarumque hoc proponimus specimen*) M. II. 133. X. 728 XI. 791 *ungue latius digredi.* III. 213 *ab imis unguiculis . . . adusque summos capillos* (cf. Petron. cp. 102 a capillis usque ad ungues). X. 720 *ex unguiculis perpruriscens* (cf. Plaut. Stich. V. 5. 19. perpruriscamus usque ex unguiculis). X. 697 *modo hanc modo illam capitis partem scalpere.* VIII. 577 *nare detorta .. varie cavillantur.* Asc. 296 *animam detorto ut aiunt detinet collo.* IX. 600 *insinuatis manibus ambulabis mihi?* I. 52. II. 123 *sub istis oculis miser iugulatus est.* III. 201 *meis his inquam auribus audivi.* IX. 638 *Iuro . . me nunc etiam meis oculis de tali muliere minus credere.* VIII. 593. 517 *mediis manibus amittere.* III. 203 *ne prorsus vacuis manibus redirem.* VIII. 548 *nostris quoque pedibus ambulabat.* IV. 297 *me pedibus fugientem alienis.* IV. 254 *octo pedibus auctiores* (i. e. quatuor hominibus.) VIII. 526 *iam cum luce transegerat.* VII. 461 *viaticulum corrasi* XI. 814 *summulam corradere.* IX. 604 *nisi nos putas aes de malo habere.* VII. 464 *sed vos vestrorum estis consiliorum rerumque domini* V. 354 *At haec iam tua est exsistimatio*: (cf. similes suasionis formulas Cic. Epist. ad. Div. XIII. 7. 2. X. 3. 3. XIV. 1. 4.). M. I. 27 *Sed, ut fieri assolet, sinistro pede profectum me spes compendii frustrata est* (contra cf. 143 *fuscis avibus Larissam accessi*). VI. 430 *pessimo pede domum nostram accessit.* Faceta allusione dictum est M. II. 102 *fores Milonis accedo et quod aiunt pedibus in sententiam meam vado.* Deinde haec M. I. 67. *Remoto ioco, dic.* V. 350 *Quid, soror, dicimus de tam monstruoso mendacio.* II. 106 *Vel quid ego de ceteris aio, cum* etc. II. 100. *Evigila et tecum esto.* II. 114. IV. 297. VII. 468 *Bono animo esto.* VI. 386 VIII. 535 *Boni ergo et optimi consules.* VIII. 553 *satis agentes rerum suarum* (cf. satagere Plaut. Bacch. IV. 3.23 agitas sat tute tuarum rerum); denique haec brevitate insignita M. III. 221. IV. 396. X. 705 Ap. 477 *bene quod* et M. VI. 423. *Cetera egomet videro.* Flor. III. 77. M. IX. 623: *De isto . . tecum ipsa videris* utrumque a Tertulliano

*) Illud diiudicare nec potui nec volui, utrum receptae sint ex vulgari sermone an iocose ad eius instar conformatae, ut videntur hae: M. III. 190. in peculio Proserpinae numeratus i. e. mortuus. VII. 459. me furatus . . . Orci faucibus ib. 492. mediis Orci manibus extractus, de eo, qui praesens aliquod capitale evasit periculum.

impense frequentatum, et, quod explicandi gratia interponitur *id est.* DPl. II. 235. DSr. 138. Flor. III. 68. 74. M. XI. 775. I. 42. *cum toto domo id est parietibus et ipso solo.* Atque huc retulerim illas quoque locutiones, quae formantur addito faciendi verbo: quarum tum varietas tum incuriosa quaedam simplicitas habet commune quiddam cum iis, quas in nostrae linguae nonnullis dialectis verbo machen componunt non inferiorum tantum ordinum homines. Certe ab optima dicendi norma differunt haec: M. V. 321 *intra limen sese facit.* X. 745 *ante iudicis conspectum facta**) vel VI. 447 *talem nuntium fecit.* IV. 277 *vale facto discessimus* (Augustin) VI. 437 *supremam periculis opem facite.* V. 358 *Cum primum illius morte salutem tibi feceris.* His simplicibus opponi possunt locutiones vastiores atque inelegantes (quales supra attulimus *fabricare risum* etc.): M. VI. 443 I. 61 *ut satis detruncaverat cibum.* I. 19 *offulam grandiorem . . contruncare gestio.* IV. 617 *contruncare moles palearum* IX. 657 *nos saginasti* (sc. ovis) VI. 430 *prandio tubercinato.* Ap. 544 *timorem mussitabat.* Invenustam ne dicam sordidam vulgi orationem haec quoque redolent M. I. 53 *Nos cucurbitae caput non habemus ut pro te moriamur.* V. 338 *cucurbita calviorem maritum* (cf. Iuven. XIV. 58). VII. 491 *quovis vervece mitiorem efficere* VII. 472 *foenum camelo Bactrianae sufficiens.* Plurima eiusmodi in iurgiis exsecrationibusque occurrunt velut M. IV. 250 *busti cadaver extremum.* ib. 259 *bipedum nequissimus Chryseros.* ib. 265 *senile illud facinus.* VIII. 570 *ruderarium cribrum* (Plaut Most. I. 1. 52 carnificum cribrum) ib. 574 *cadaver surdum.* ib. 586 *illa spurcissima propudia.* X. 693 *cruciarius* X. 752 *excetra* V. 376 *stellio* Ap. 539 *frutex* M. X. 746 *vilissima capita immo forensia pecora, immo vero togati vulturii.* IX. 634 *At te . . numina pessimum pessume perduint.* Ap. 552 *istum di perduint.* M. V. 330 *Prius centies moriar quam ut.* III. 197 *Dii mihi melius quam ut.* IV. 292 *quid, malum, fleret* X. 707 *quid, bonum, rideret* **).

Verum ex his locutionibus singulis colligendis minimus

*) Donat. ad Phorm. IV. 3, 30. „hinc facessat pro : cedat, alias faciat. Huc de face, dicitur pro huc accede.“ Ex Apuleio conferri potest etiam facessere pro decedere saepius usurpatum: facessere cubiculo, theatris, castellis, e conspectu etc. cf. M. III. 151. 182. 191. VI. 401 VIII. 515. 575. 588. IX. 636. X. 716. 721. 731. 738. etc.

**) Nescio an in hunc ordinem non possit recipi illud M. I. 45 hic Catamitus meus: quae vox vetusta ex Γανυμήδης corrupta (cf. Paul. Diac. pg. 7. 16. p. 44. 6. Müll.) omnino est lascive blandientis,

percipitur fructus. Praeterquam enim, quod ad latinitatem scriptoris diiudicandam nihil faciunt, multae etiam vulgari consuetudini tribuuntur verisimilius quam certius. Quibus relictis pauca de universo orationis tenore huc vergente addamus. Atque primum igitur rerum, quae tractantur, diversitate immutata est eius species a ceterorum scriptorum excultiore oratione. Saepissime enim idque potissimum in primis metamorphoseon libris sermones referuntur et altercationes, quibus vivida et incitata fit narratio. Ita praeter ellipses festinatae orationis proprias maxime interiectionum longe lateque patens frequentia quotidiani sermonis praebet quandam similitudinem. Inveniuntur autem adeo crebro, ut eas colligere fere longum sit cf. *ecce* M. I. 21. 28. 56. 71. 72. 79. II. 84. 116. 120. 126. 156. III. 192. 194. 207. IV. 251. 283. 287. 296. VI. 421. 422. 443. VII. 492. 493. 498. VIII. 522. 534. IX. 614. 636. 637. 654. X. 708. XI. 755. 787. 778. 796. 803. 804. 814. Ap. 550 etc. *en* I. 1. 60. V. 336. VIII. 539. IX. 620 *en ecce* coniungitur M. I. 9. VIII. 576. IX. 630. X. 696. XI. 783; *heus, et heus, sed heus* M. I. 17. 49. 53. 68. II. 113. 146. VII. 489. VIII. 557. IX. 657. X. 708. *hem ehem* V. 383. II. 145. Ap. 550, alia similia. Illud etiam quod vehementer asseverantis est, sed velut ironice loquentis *quidni*, pro natura sua non invenitur nisi in sermonibus ad quotidianae vitae consuetudinem assimulatis (cf. Petron. cp. 127. Cic. fam. III. 7. Plaut. Truc. V. 2. 19. Menechm. V. 5. 14 etc.) Apud Apuleium creberrime legitur: M. IV. 290 *necquicquam dolor sedatur puellae. Quidni! quae . . sine modo flebat* cf. ib. V. 376. VI. 412. VIII. 510. IX. 610. 624. XI. 810. 816. Mund. ?60. Ap. 393. 513; *quippini* M. IX. 644. Atque ut haec sermocinandi incitatio vivida a gravium rerum expositione frigida reapse diversa est, sic narrandi quaedam simplicitas rudis ab eruditorum exculta dictione est aliena. Ea enim cernitur in huiusmodi pleonasmis III. 183 *retro reflexus* X. 747. *rursus reverti.* VI. 397 *iterum reddunt.* X. 716 *desuper superstruunt* IV. 318 *medio loci meditullio* VI. 435 *frustra cassum tumultum.* VII. 455 *universi omnes* (Plaut. Trin. I. 2. 134. V. 3. 39.); deinde etiam his IV. 257 *solus ac solitarius.* X. 724. *solus et sine ullo comite.* III. 200 *Paveo et formido.* III. 211. VIII. 516. *intecti atque immuniti.* VII. 457 *spretis atque contemptis.* ib. 499 *contemnit ac despicit.* ib. 468 *laeti et gaudentes.* ib. 473 *gaudens laetusque.* ib. 461 *nec mora nec cunctatio* etc. Denique vulgaris loquendi usus aliquem certe colorem inducunt etiam deminutiva effuse ubique cumulata: quae secundum

naturam suam comem ac festivam animoque cum auribus blandientem ab eleganter excultorum hominum tanquam severitate atque acumine sentiendi dicendique remota, sunt propria vulgi*). Sed quamvis numerus eorum, quae huc vergant (ut *summula operula offula uxorcula* etc.) satis magnus sit, tamen non principem iis locum tribuerim inter proprietates vulgarem sermonem redolentes. Multo enim maior pars non hanc naturalem ex indole vulgi profectam habere originem, sed revocanda videtur ad illam arteficiose exquisitae atque exacutae orationis quum ludibundae tum libidinosae quasi titillantem affectationem.

Est autem hoc in universa vulgaris cuiusdam sermonis inquisitione summae gravitatis in primisque spectandum, quod Apuleius, quum leves ac sordidas res tractaret infimique ordinis personas induceret loquentes, non id egit, ut rerum hominumque tum morum tum sermonum exprimeret veritatem quandam: sed semper ipse sub ridiculis istis personis latet, legentium captaturus risus aut admirationem rhetoricarum artium et sophisticarum argutiarum splendidissimo sumptu. Itaque non eosdem, quos apud Petronium, orationem personarum naturae accomodantem, invenies soloecismos et idiotismos et sermonis genus rude et inconditum indeque ridiculum. Tota oratio potius ea est eaque vult percipi, quae non factarum rerum seriam sed fictarum ludicram prae se ferat speciem. Sive igitur dei sacerdotesque, sive latrones et bubulci loquentes inducuntur: tumide loquuntur non minus hi quam illi et prorsus ut rhetores. In quo mihi semper maxime memorabilis visa est illa servuli cuiusdam de Charites fato narratio M. VIII. 505 sq., quam cum aperte vellet loquentis adaptare ingenio, insignivit interspersitque dictionis laxae ac rudis atque incompositae notis. Inter has igitur numera allocutionem iam ipsam et cetera: *Equisones opilionesque et bubsequae, fuit Charite nobis quam misella et quidem casu gravissimo nec vero incomitata Manes adivit.* ib. 507 *Idque sic erat et fama dicebat.* ib. 510 *Quidni! cum flamma* etc. 512 *Spectate denique, sed, oro, sollicitis animis intendite, quorsum* etc. ibid. *venatum petebat . . indagaturus feras. Quid tamen in capreis feritatis est? Nec enim Charite maritum suum quaerere patiebatur bestias armatas dente vel cornu.* 515 *aper inusitatus.* 517. *Quin ocius indipiscimur? et cape venabulum et ego sumo lanceam.*

*) Quae de re cf. quae egregie disputavit G. Müller: De Linguae Latinae Deminutivis. Diss. Regim. 1865 pg. 19.

Sed haec remissioris festinantisque orationis vestigia rara sunt ac nihili aestimanda prae reliqua eius affectatione ac tumore (cf. ib. 515. 522 etc.)

Atque his fere exposuimus ea, quibus efficitur dictionis color quidam vulgari similis. Nam proprietates eae, quae ad grammaticam spectant, in altera parte suo quaeque loco seorsim tractabuntur. In fine tamen additamenti loco mentionem faciamus earum, quae ex linguarum e latina ortarum similitudine deducuntur: quae neque a nobis repertae sunt aut omnino reperiri poterant pro scientiae tenuitate, neque alicuius ad pernoscendam Apulei dictionem sunt momenti. Nam et *manducare, mandere (manger)* non usurpat nisi de bestiis (M. VIII. 563. IV. 287.) neque *spathae* vocabulum *(espada, epée)* M. I. 21. IX. 671. ullo modo gladio vel machaera potius habuit et frequentius, neque illa: *casa mansio basium bellus russeus* M. IX. 654. VIII. 567. II. 103 etc. aut DPl. II. 233 *coquina* Arnob. (*cuisine*) et M. VIII. 589 X. 710 *minare* (*mener*) ei soli sunt usitata neque denique illi, quod revera plebeium videtur Ap. 429 *cambiare* (*changer*) potui alterum simile apponere. Neque tamen hanc omittamus usus singularitatem, quam ut plebeiam linguarum e plebeia latinitate derivatarum comparatione comprobare studuit Winkelmannus*), qui tamen Apuleium non respexit. Italicae enim Hispanicaeque linguae gerundia in-o exeuntia, ex eadem latina forma orta non nativam eius notionem sed immutatam in participii similitudinem ostendunt: cuius immutationis vestigia in Vitruvi et Ammiani Marcellini dictione reperit, quae alia quoque vulgaris sermonis indicia habet multa. Exemplis inde allatis (Vitr. VI. 9. praef. X. X. 22) similia ex Apuleio possunt addi haec. M. I. 47 *ut grabatulus . . palpitando saltaret.* III. 208 *Herculei laboris numerare . . totidem peremptos utres coaequando* IX. 658 *incursabat pauperiem pecua trucidando, boves abigendo* etc. X. 721 *voluptates meas ex eius arbitrio largiebatur, partim mercedes amplissimas acceptando, partim novum spectaculum domino praeparando.* cf. I. 15. V. 359 *moerendo.* VI. 424 *reformando.* VII. 479 *incursando.* 480 *feriendo.* 488. *imaginem savii mentiendo . . morsitat.* ib. 489 *admiscendo.* VIII. *delectando.* IX. 599 *praebendo.* IX. 634 *deierando.* DSr. 140 *aera . . volitando transverberant* etc. quae formae cunctae habent non cohibitam, sed inhabilem quandam

*) Philol. Skizzen, d. Gesch. d. röm. Sprache u. Litteratur betreffend. Jahn's Jahrb. 1833. 2r Supplbd. pg. 505.

orationis brevitatem*). Denique is usus Plauto familiarissimus, quo verba eundi cum supino coniungit, ut actionem aliquam inchoatum iri vel esse significet, ex vulgari more deduci potest, Francogallorum *aller* et *venir* comparatione**). cf. Flor. II. 42 *aliena furatum eunt.* DSr. 162 *incepta Socratis quaepiam daemon ille ferme prohibitum ibat*: fortasse etiam huc referendum est Ap. 515 *Utrum tu accusatum an interrogatum venisti.*

Atque his conatus sum vulgaris sermonis vestigia perpauca paucis certe adumbrare. Integram autem adhuc reliqui Apuleianae dictionis proprietatem, ut quibusdam fortasse videtur, gravissimam: quam novo vocabulo breviter liceat dicere **Africitatem**. De quo idiotismo in universum aliquid libenter proferrem, si quid de eo adhuc scriptum invenissem. Sed neque Ritterus l. c. (Die Darstellung der ersten christl. Schriftsteller Afrikas XX. pag.), ut ipse quaestionis titulus indicat, ad grammaticas eius rationes illustrandas sese applicavit neque Niebuhrius rem absolvit, quum diceret Africam latinitatem tantopere disiunctam diversamque fuisse ab urbana, quantopere a Genevensium idiotismis differret purus atque limatus sermo Parisiorum***). Atque nobis quidem, si Apulei nostri solius rationem habemus, neganda est quaevis orationis species Africa: neque enim in verbis aut locutionibus aut denique structura invenimus aliquid, quod possimus certis argumentis nixi ad provincialem linguae consuetudinem quandam revocare†). At de toto orationis tenore omnes cosentiunt illumque tumorem Africanum omnibus, qui Africa oriundi fuerunt, scriptoribus communem atque peculiarem adiudicant proprietatem: qui tumor non solum ad scribendi narrandique indolem referendus est, sed plurimum etiam ad orationis externam speciem facit. Eo enim referri volumus omnia depravatae linguae indicia, de quibus supra disseruimus: verba enor-

*) Apud Tertullianum eiusmodi non minus frequentes occurrunt, ut adv. Marc. I. 29 liberando. ib. I. 26 „indicavit nolendo fieri." Praesc. Haer. 37. „Christiani esse non possunt non a Christo habendo etc."

**) cf. Winckelmann l. c. 506 „je vais aller. voy à hablar."

***) cf. Vorträge bearb. v. Schmitz u. Zeiss II. pg. 324.

†) Quos Hildebrandius affert ut ita dicam Africanismos, ut habere c. infinitivo coniunctum Ap. 456 et plusquamperfecti pro imperfecto usum ibid. 501. vocesque singulas ut paupertinus (quod quidem et Varroni et Gellio usitatum est) et eiusmodi leviores, plerumque non recte observavit.

mia fastidiose cumulata numeroseque concinnata, quae aut licenter novata sunt aut ex antiquo sermone repetita, figurarum frequentiam audaciamque, totius orationis contortae aut brevibus enunciatis concisae aut longis ambagibus tortuosae molestias et cetera. Nonnulla singula in altera parte separatim observandi aptior fiet potestas*).

II. Pars grammatica.

Atque adhuc ita nobis progressa est oratio, ut ea versaretur omnis in aditu quasi quaestionis de Latinitate L. Apulei institutae. Nunc iam res ipsas adgrediamur. Atque latinitas quoniam generatim duobus maxime rebus cernitur, tum vocibus ipsis iisque bene legitimaque significatione usurpandis, tum recte linguaeque indoli congruenter coniungendis ac disponendis: iam hanc partitionem naturaliter se offerentem sequamur. Quam tamen fecimus adumbratam magis, ut esset aliquis scribendi ordo, quam ut omnia stricte atque accurate ea amplecteremur: compluria enim additamenta varia ac selecta singulis partibus singula erunt subicienda. Primum igitur de iis, quae ad etymologiam sive originationem spectant, disserendum proponendaque est vocabulorum copia, orationis fundamentum, sive, ut breviter nostro vocabulo uti liceat, **scriptoris lexicon.** Atque singularum vocum forma vel notione memorabilium observationem instituere poteramus eam, ut primum, quas confinxisset novas, deinde quas e thesauro poetarum delibasset, tertium, quas e priscorum scriptorum repetisset usu colligeremus, denique quarum commutasset sive deflexisset notiones quaereremus. Verum haec quamvis facile instituatur, tamen difficile observari potest dispositio minimeque nobis placuit. Nam praeterquam quod omnino alterum cum altero confunditur, hoc praecipue non potest diiudicari, utrum aliquod verbum temere et pro libidine confinxerit an ex antiquitatis tenebris arripuerit obsoletum. Nam quum inde tot hauserit inusitatas voces, quas si non grammaticorum et

*) Quid Bernhardy Röm. Litteraturgesch. de hac re censuerit equidem enucleare nequivi. Nam quo tandem modo haec inter se concilientur: pg. 319. Der verzerrte Stil, welcher poetischen, alterthümlichen und lokalen Sprachstoff mischt et ib. p. 324. Beim Apuleius dagegen erinnert daran (sc. Africitas) nur der Ton und Hauch der Darstellung.

glossographorum, a quibus proditae sunt, auctoritate niti possemus, profecto eum noviter pepigisse crederemus: cur non bonam etiam earum partem, quarum nullum vestigium exstat quasque vulgo ab interpretibus novasse fertur, eum e prisca lingua sumpsisse consentaneum est? In quo illud prae ceteris spectandum est, cascae latinae linguae vocum, quae quidem ad nos innotuerint, summam esse penuriam: quae si aliquot mille vocabulis esset locupletatior, aliter de Apulei dictione possemus iudicare. Quae autem novavit (novasse autem semper eum dicimus ea, quae apud eum aut solum aut primum inveniuntur) quamvis satis insolenter novaverit, non aliter tamen finxit nisi linguae legibus congruenter, ut concesserim hac ratione Oudendorpium recte contendisse, Apuleium nihil sine exemplo scripsisse. Neque etiam ille ordo, quem secutus est Erdmann in specimine ante excitato, nobis probatur, quo primum vocabula Apuleio soli usitata, deinde vetustioris linguae specimina, tum Plautinas voces collegit: quibus additurum se promittit deminutiva et voces e vetustiore quidem lingua depromptas sed recentiorum quoque usu frequentatas, deinde eas, quas Apuleio posteriores scriptores soli habeant, denique quas et poetis sibi delegerit. Haec iisdem de caussis, quibus prior displicet dispositio; insuper etiam in nimis multas particulas diffisa est, quarum minuta separatione impeditur, quo minus in uno eoque facili quamque brevissimo conspectu ponatur vocabulorum copia et qualitas. Hoc optime nobis consecuturi visi sumus, omnia quae formae vel notionis habeant aliquam proprietatem ab optima latinitate remotam, deinceps pertractantes nomina substantiva, adiectiva, adverbia, huiusque generum deminutiva et Graeca, denique verba. Enumerationem autem vocabulorum circumscripsimus his rationibus, ut omitteremus omnia, quae argenteae quam dicunt Latinitatis scriptoribus familiaria essent, omnia, quae optimae decrescentisque eiusdem aetatis poetae usurparent; ut colligeremus ea, quae apud hos modo commemoratos aut semel legerentur aut rarissima, ea, quae ex priscorum aut certe antiquiorum scriptorum usu manarent, denique ea nimirum, quae apud Apuleium aut solum aut primum aut simul apud eius aequales, in primis Gellium ac Frontonem, occurrerent. Ex primi autem saeculi scriptoribus adiunximus auctores raro Columellam sed saepius Vitruvium, qui a Cicerone quamvis minimo temporis spatio seiunctus sit, tamen dictionis

specie multo longius distat quam insequentium scriptorum quisquam: nam oratio incondita et rudis est, notionibus vocumque formis ab aetatis suae usu abhorrentibus, fortasse vulgaris etiam sermonis licentiis interspersa; deinde nimirum adhibuimus Petronium sordidi sermonis exemplis insignem*). Denique ex vetustioribus praeter Lucilium, Lucretium quoque atque adeo Varronem respiciendos esse putavimus. Atque horum auctorum nomina tantum singulis vocabulis addere satis duximus, locorum accuratiorem comparationem supervacaneam rati**). Iam quae de notionibus observanda erant, verborum ordini cuique extrema semper subiunximus.

Quibus in universum praemissis, iam deinceps perlustremus **substantiva**, ita semper ut rationem habeamus aliquam originationis. Primum Apuleius plurimus est in vocabulorum e verbis ductorum usurpatione in iisque e verbis noviter conformandis. Ex quibus nota haec in-**tor-tio-tus** exeuntia. M. VII. 497 *abactor* Min. Fel. I. 39. X. 718 *adventor* Plaut. I. 15 *adfector.* † s. Flor. IV. 100 *advector* Plaut. Asin. II. 2. 92. DSr. 130 *adversator* s. (-trix Plaut.) DPl. I. 199 *agitatrix* Arnob. (-or Cic.) Mund. 321 *afflictrix* (-or Cic.) M. VI. 563 *arcessitor* Plin. ep. V. 6. Amm. Ap. 558 *Circumspectatrix* (iuvenum cf. Plaut. Aul. I. 1. 2.) M. V. 365 *consiliatrix* s. (ib. I. 65 consiliator Plin.) ib. V. 324 *coenator* Gloss. XI. 777. Ap. 535 *commeator* A. Ap. 434 *conditrix* Macrob. (-or Cic). DPl. I. 184 *certator* Gell. ib. II. 231 *contemplatrix* Cels. (-or. Cic.) ibid. *captatrix* s. (-or Cic.) Asc. 292 *conformator* s. Ap. 556. *coëmtor* s. ibid. *commentator* Tert. ib. 393 *complanator* s. ibid. *converritor* s. — Flor. I. 38 *Dilector* Tert. Asc. 311 *distributor* s. Mund. 290 *disterminator* s. Ap. 550 *despector* Tert. ib. 555 *degulator* s. DPl. II. 225 *ducatrix* s. (-or Tert.) ib. II. 228 *diiudicatrix* s. ib. I. 190 *Exorsor* † M. VIII. 549 *excector* s. (virilitatis) Ap. 551 *emasculator* s. Mund. 371 *Fulminator* (Jovis cognomen) Arnob. Ap. 585 *favisor* Gloss. (pro: fautor. favitor Plaut. Lucil.) M. IV. 251 *hospitator* s. ib. VI. 448 *insecutor* Tert. Prud. Ap. 459 *insimulator* Lat. Pacat. 43. Flor. I. 28 *invisor* s. DSr. 156 *improbator* Tert. Mund. 371. *Imbricitor*

*) Mirum est quod abstractorum vocabulorum pluralis numerus recentissimis inprimisque Tertulliano frequentissimus iam apud Vitruvium reperitur, ut II. 6 „pulver . . aedificiis praestat firmitates“ cf. Winckelmann l. c.

**) Qui additur locus, praeter nostrum aut solus est aut ceteroquin insignis. S additum vocibus significat ἅπαξ εἰρημένον, † coniectura in textum repositam vocem, Ā. Apuleio soli, sed ei saepius usitatam.

Enn. Macrob. M. I. 9 *locutor* Gell. Ap. 443 *lustrator* s. M. IX. 659 *mediator* Tert. Lact. Flor. I. 17 *modificator* s. ib. II. 59 *nuncupator* s. ib. III. 65. DSr. 156 *Opitulator*. Fest. p. 184. M. IX. 602 *officinator*. Vitr. Flor. III. 81 *oblectator* Tert. DSr. 144 DPl. II. 251 *osor* Plaut. Lact. Ap. 558 *ostentatrix* Macrob. (-or. Liv.) M. III. 188 *Peremptor* Sen. Oedip. 221. Prud. ib. VI. 407. 427. X. 710 *pocillator* A. (pocillandi verbum nusquam invenitur.) Flor. III. 84 *praestigiator* Plaut. Arnob. DSr. 156 *prospector* Tert. ibid. *praemonitor* s. ib. 163 *prohibitor* Arnob. Amm. Asc. 311 *praestitor* s. Mund. 365 *praecentor* Augustin. Ap. 443 *purgator*. Firm. Augustin. ib. 468 *perfossor* Plaut. Flor. I. 21. *Retentor*. s. Ap. 434 *repertrix* s. (-or Sal. Hor.) Asc. 287 *restitutrix* s. (-or Cic.) M. VII. 464. 471. IX. 598. Ap. 536. Mund. 343 *sospitator* Arnob. M. XI. 770. 783. 806 *sospitatrix* A. DPl. II. 230 *subiugator* s. Mund. 371 *Serenator* (Jupiter.) Inscr. M. I. 16 *sititor* (novitatis. Mart. XII. 3. s. aquae). ib. IX. 624 *sermocinatrix* (immodica: quo Quintilianus non usus est nisi ad vertendam rhetoricae artis partem προσομιλητικήν Inst. III. 4. 10.) Ap. 430 *triumphator* Min. Fel. (Mund. 371 est Jovis cognomen.) Asc. 311 *tributor* s. DSr. 156 *tutator* Epit. Iliad. 916. M. VIII. 649 *veteratrix* s. (-or Cic.) — Notionis immutatio ea, qua vocabula, quibus melioris notae scriptores non utuntur nisi circumscripta ac peculiari quadam significatione, amplificantur ad latiorem notionem, notanda est in his: M. II. 137 *diribitor*, epularum significat officium, quod Cicero (Pis. 15) de iis tantum usurpat, qui suffragiis disponendis sunt praepositi. Ap. 578 *quadruplator* nativam habet significationem: Ciceroni est certum genus delatorum. Simili modo *antecessor* Flor. I. 39. IV. 61 et *secutor* M. IV. 226. IX. 626 dicuntur pro eo, qui antecedit, qui sequitur: quorum prius vocabulum non legitur (Suet. B. Afric.) nisi rei militaris proprium, alterum designat gladiatorum genus.

M. II. 141 *Adiuratio* Lact. XI. 795. 801. *apertio* Varro. Pallad. DSr. 128. Asc. 318 *attrectatio* Gell. Lamprid. (apud Quint. I. 4. 20 locutio est grammatica). Asc. 311. 314. 316. M. X. 697 *alternatio* Macrob. Asc. 310 *benedictio* Tert. M. IX. 618 *circumcursio* s. Ap. 555. *collurchinatio* Claud. Mamert. ib. 471 *circumlocutio* (a Quintiliano VIII. 6. 61 novatum ad περίφρασιν Latino sermone adaequandam) Gell. III. 1. 5. Arnob. M. IV. 268 *coquitatio* s. Asc. 298 *commixtio* Marcell. Empir. ib. 292 *commodatio* s. Flor. IV. 83 *columnatio* s. ib. IV. 85 *coniugatio* (mellis et fellis: Cic. topic. vertit συζυγίαν). M. VII. 491 *detestatio* (i. e. testium ex-

sectio) s. XI. 817 *disseminatio* Tert. DSr. 115. *disclusio* s.*). M. V. 363 *evectio* Symm. Mund. 305 *eructatio* Firm. math. M. II. 82 *famulatio* s. Flor. I. 36 *fastigatio*. Plin. XVII. 14. 24. DPl. I. 181. *figuratio* Quind. decl. XII. 27. M. X. 740. 742 *gesticulatio* Suet. Tib. cp. 68. Asc. 314 *innovatio* Arnob. ib. 310. *inordinatio* Cod. (ibid. *illuvio* s.) M. VIII. 534 *iubilatio* s. ib. VIII. 515 *mussitatio* Amm. Flor. IV. 83 *marmoratio* s. Ap. 508 *maculatio* Firm. DPl. II. 259 *nutricatio* Varro. Gell. M. III. 189 *ostensio* Eccl. V. 360. X. 687 *oblatio* Amm. Dig. Mund. 361 *obolitio* s. M. V. 351. 354. X. 722 *praegnatio* Varro. Flor. IV. 89 *penetratio* s. DSr. 123 DPl. II. 236 *participatio* Spartian. Ap. 545 *procatio* s. Mund. 351 *pavitatio* s. ib. 331. 310 *passio* Prud. Firm. Asc. 325 *perseveratio* Hygin. (Mund. 364 *proluvio*) M. III. 220 *reformatio* Sen. ep. 58. Flor. II. 50 Ap. 519 *ruratio* (priore loco agriculturam, altero „versationem ruri" significat) s. Ap. 502 *rotatio* Vitr. Mund. 340 *redintegratio* Ter. Varro (A. Her. IV. 28 rhetoricum est vocabulum) M. II. 134 IX. 636 *regressio* Fronto (Quint. IX. 3. 35 ἐπάνοδος). Flor. IV. 87 *repertio* (Mythogr. Vatic. fab. 28. Mai) M. IV. 249 *stabulatio* Col. IX. 641. 640 *sternutatio* Scrib. Fronto. DPl. II. 242 *superlatio* (malignitatis: Ciceroni non usitatum est nisi ad significandam ὑπερβολῆς figuram). M. X. 705 *subreptio* s. Flor. I. 35 *tubulatio* s. M. I. 13 *vegetatio* s. ib. VI. 382 *vestigatio* s. DSr. 153 *vagatio* s. Atque haec quidam rariora sunt praeter usitatiorum ingentem copiam. Nam huiusmodi vocabulis frequentissime Apuleius utitur iisque cum angusta quadam dicendi brevitate complectitur enunciatum, ad quod exprimendum, qui electius locuti sunt, longiore verbi ambitu usi sunt cf. M. II. 141. V. 360 XI. 795 etc. Deinde in huiusmodi figmenta attende animum Flor. IV. 83 *pavimenti marmoratio, scenae columnatio:* non quod desideretur supplendumque sit verbum columnandi, sed quia actionis notio, ex qua omnes huius generis verbales appellationes profectae sunt, si non prorsus derelicta est, at certe evanuit. Ita quaeri potest, qua re *ordinatio* (Plin.) differat ab ordo M. X. 735: dispositis ordinationibus etc. Iam illa: Asc. 325: *te! aeterna perseveratio, naturarum omnium fecunda praegnatio.* ib. 292 *Voluntas dei . . est summa perfectio* DSr. 152 *corpus atque animum . . . quorum communio et copulatio sumus* prorsus insolenter diverseque ab horum vocabulorum natura enunciata ex rei a vulgari cogitandi

*) M. III. 210. IV. 316. X. 712. XI. 805. II. 108. „domuitio" Acc. Lucil. pro Ciceroniano: domum itio,

consuetudine abstractae insolentia manaverunt. Non minus inusitata ratione *famulationis* appellatio nova non actionem famulandi indicat, sed eos homines complectitur, qui in ea actione versantur i. e. universos famulos sive, quod alio loco (M. VI. 396) praetulit famulitium cf. M. II. 85 *mulierem frequenti stipatam famulatione.* Aliae deinde significationum mutationes in his notandae sunt: M. IX. 596 *concessio* quasi appropinquatio eo sensu positum est, quo concedendi verbum Apuleio non infrequens est pro: ire proficisci (M. VI. 399 *coenae nuptiali concessit*): quae quidem notio quamvis ad nativam verbi notionem adaptata sit, tamen a solito usu plane remota est; M. VI. 432. III. 203. 182. VIII. 589 simpliciore intuitus vel respectus notione Apulei propria (indeque posteriorum et potissimum ecclesiasticorum scriptorum) dictum est *contemplatio; devotio* non solito sensu pro voto M. XI. 788 *muneribus largis et devotionibus fausti completa navis.* Quod denique *contabulatio* (Caes.) de vestibus M. XI. 758 et *quaesitio,* non quo vulgo fertur iudiciorum sensu (Tac. A. IV. 45), sed prorsus propria usurpavit significatione M. V. 371 levioris momenti sunt.

Ap. 600 *Adhortatus* s. M. VII. 404 *auscultatus* Fulgent. V. 318 *allapsus* Hor. epod. I. 19. — M. II. 177 *boatus* s. ib. I. 60 IX. 600 *cibatus* Plaut. Varro. Plin. VIII. 574 *cavillatus* s. IX. 619 *cognitus* s. DPl. II. 256 *coniunctus* Varro. Dig. Flor. IV. 92 *compositus* †. DSr. 127 *communicatus* s. Ap. 447 *conditus* Censorin. Auson. — ib. 439 *demersus* s. DSr. 144 *defluxus* s. Flor. IV. 92 *dedicatus* †. ib. I. 9 *esus* Varro. Gell. I. 32 *elaboratus* s. II. 51 *effigiatus* s. Apol. 477 *genitus* A. M. II. 114 *inhalatus* s. VII. 459 *indagatus* s. VII. 452 *insutus* s. ib. 473 *inscensus* s. ib. 489. IX. 651 *inspersus* A. Flor. II. 58 *locutus* s. M. I. 70. V. 374 *monstratus* Auson. ib. III. 198 *meditatus* s. IV. 289 *matronatus* s. Ap. 550 *machinatus* Sidon. M. XI. 771 *oppexus* s. Ap. 518 *opertus* Paul. Nol. DPl. I. 129 M. V. 394 Ap. 506 *petitus* Gell. Lucr. III. 172. M. VII. 465 *potatus* s. ib. VIII. 584 *prosectus* A. Ap. 416 *possessus* s. M. VIII. 587 *ruditus* s. V. 557. IX. 625 *refectus* Dig. XI. 754. 767. Flor. I. 10 *repertus* A. Flor. I. 19 *reflexus* s. DPl. I. 198 *retrocessus* s. M. I. 91 *supergressus* Tert. IV. 213 *succussus* Pacuv. V. 372 *scortatus* s. VII. 416 *sacrificatus* s. XI. 788 *structus* Arnob. Ap. 563 *suasus* Plaut. Tert. Dig. Ap. 439 *sustentus* s. Flor. II. 51 *separatus* s. M. I. 31. 72. Ap. 391 *tersus* A. Flor. II. 41 *volutus* s. Neque haec, ut eiusdem derivationis rariora vocabula,

quae Ciceronis etiam puro sermoni probata sunt, ablativi tantum forma reperiuntur. Verum praeter ablativum multa, quae est eorum natura ad verbi rationem quam proxime accedens, inprimis tertio casu usurpata apparent velut M. I. 72. *oleum unctui et lintea tersui . . profer ociter:* quod pluribus exemplis illustrabitur, ubi de dativo fusius erit disserendum. Notionis levem varietatem observavimus in vocabulo *repertus:* est enim tum fere repertum Flor. I. 10. M. XI. 777, tum cum particulae re- significantiore vi positum est M. XI. 754. *Ceres . . repertu laetata filiae.* Deinde *reatus*, quod auctore Quintiliano Inst. VIII. ?. 34. a Messalla civitate condonatum est, Apuleius et legitime usurpavit de statu rei M. I. 55. III. 184. et deflexit paullo amplificavitque ita, ut tum crimen culpamque ipsam (M. VII. 462), tum habitum rei sordidum eo significaret M. IX. 650. *mulier reatu miraque tristitie deformis apparuit flebili centunculo semiamicta* etc. Denique haec duo vocabula quae inter reliquorum ordinem non recepimus, hic addamus: quae quamvis Cicero sibi sumpserit, tamen is praeter Apuleium solus et utrumque semel tantum habet M. IV. 273 *respiratus* (-u N. D. II. 55. 136.) M. I. 56. *deductus* (Cic. off. II. 4). —

Progrediamur deinde ad ea vocabula, quae in — **men** et — **mentum** desinunt, quae propter ipsam longitudinem pondusque sonitus gravis, quo auribus inferuntur, studiosius Apuleius noster videtur captasse. Accedit praeterea rarioris terminationis oblectamentum, quae, nisi in vetustiore lingua, minime frequens est. In nonnullis maxime, quae in-men finientia noviter confinxit, animadvertere licet, novam terminationem nihil fere immutasse notionem, sed arcessitam tantum esse ut inane orationis ornamentum idque inde etiam patefit, quod huiusmodi rariores exitus praecipue cumulavit (cf. M. XI. 770. Flor. I. 5.) Flor. IV. 86. *adhortamen* s. M. XI. 770. 803 *amicimen* A. XI. 768. 816 *affamen* A. XI. 770. *coronamen* s. DSr. 124. *coruscamen* Fulgent. Flor. I. 5. *dolamen* s. Ανεχόμενος (ed. Hildebr. II. pg. 614) *delectamen* s. Ap. 536. *formidamen* s. M. XI. 773. *linteamen* Lamprid. Hier. II. 140. *praesegmen* Plaut. Aul. II. 4. 33. Fulgent. DSr. 172. *polimen* Arnob. M. IV. 213. *sarcimen* s. I. 17. *susurramen* M. Cap. VI. 385. *sulcamen* s. (glebae Siculae). Flor. I. 5. *sepimen* s. M. VII. 470. *spectamen* quasi spectaculum vel scena, qua voce in primis delectatur, posuit cf. ib. IV. 282. *miserum funestumque spectamen adspexi*: quod praeter eum Plautus usurpavit solus,

sed alio sensu pro „specimen“ ferme. M. VI. 410. *vibramen* s.*) His ratione simillima sed paullo usitatiora sunt ea, quae in **-mentum** determinantur, ex quibus prisca vel nova sunt haec: M. XI. 779. *antecantamentum* s. Ap. 510. *agnomentum* s. ib. 507. *concrementum* s. ib. 574. Flor. I. 13. *dissimulamentum* A. — Ap. 457. Flor. I. 13. *deliramentum* Plaut. Fronto. Plin. h. n. II. 7. 5. M. XI. 752. *decrementum* Gell. III. 10. 11. M. IX. 614. *erudimentum* s. Flor. II. 57. *exercitamentum* s. Ap. 475. *eiectamentum* Tac. Germ. 45. M. IV. 297. DPl. II. 258. *figmentum* Gell. Amm. Lact. M. I. 55. *fulcimentum* Cels. Solin. XI. 701. *intrimentum* (XI. 788. intritum) s. Ap. 593. 601. *illectamentum* s. ib. 385. *inhonestamentum* Gracch. Flor. IV. 99. *moramentum* s. M. I. 76. *nugamentum* s. Gloss. Ap. 378. *obiectamentum* s. M. VIII. 591. *protrimentum* s. X. 702. *scitamenta* Plaut. Macrob. XI. 795. 800. *supplicamentum* Arnob. DSr. 152. Ap. 535. *terriculamentum* Sidon. Non ea vi, quam haec determinatio vulgo ac naturaliter habet, *dissimulamentum* Ap. 574. Flor. I. 13. non id significat, quo quis utitur ad dissimulandum, sed est ipsa dissimulatio. Discrepantia significationis notanda est in vocabulo notissimo *detrimenti* quod M. VI. 393. insolita sed sui propria notione dictum est de eo, quod deteritur sive detritum est: *currum limae tenuantis detrimento conspicuum* contorta sane et ratione et oratione.

Atque his aptissime deinceps adiungamus vocabula longioris ambitus neutriusque generis et ipsa, quae in-**culum** **-bulum** et **-ium-um** exeunt: M. VI. 422 *cooperculum* Pallad. Plin. XXIII. 6. 109. — M. VI. 385 *demeaculum* Gloss. VIII. 516. DSr. 127 *habitaculum* Gell. Amm. Prud. Ap. 520 *memoraculum* s. Flor. IV. 90 *obstaculum* Prud. M. IX. 610 *offensaculum* Lact. Prud. Ap. 536 *occursaculum* s. M. VI. 385 *remeaculum* s. Flor. IV. 90 etc. *reverticulum* A. ib. I. 33 *signaculum* Tert. Prud. Dig. M. V. 359 *sectaculum* s. (*-a natalium:* quod perperam a secta ut a mater matercula deduci vult Hildebrandius). — M. VIII. 516. X. 725. Flor. IV. 88 *decipulum* M. Cap. Flor. IV. 88 *exorabulum* Plaut. ib. III. 62 *medicabulum* s. M. IX. 599. Ap. 442 *mendicabulum* Plaut. Flor. III. 62 *natabulum* s. ib. II. 53 *pulsabulum* s. (sive *quassabulum* s; quod praeposuit Hildebrandius.) M. I. 71 *sessibulum* Plaut. Poen. I. 2. 56. Deinde haec in-**ium**, quae forma et in primis compositione ad priscae linguae consuetudinem accedunt: M.

*) Erdmann l. c. pg. 8 „vitramen“ scribit, quod ne quis putet mendum typographicum esse, addit: „i. q. vitrum.“ Unde in istum errorem inciderit, non potui excogitare.

II. 126 *antecoenium* Isid. XI. 769 *anteludium* s. Mund. 320 *adagium* Gell. DSr. 110 *avitium* s. (i. e. avium familia) M. V. 335. XI. 770 *barbitium* A. ib. II. 88 *capillitium* s. II. 151 *concubium* Plaut. Enn. IX. 632 *cordolium* Plaut. V. 324 *edulium* Amm. Fulgent. Varro. LL. III. 3. 93. M. VI. 396 *famulitium* Jul. Val. Macrob. IX. 637 *fragium* s. (crurum) DSr. 137 *fatiloquium* s. M. VIII. 504 *gallicinium* Censorin. Asc. 323 *glutinium* (hoc loco sensu translato, ut apud Prud. Hieron., proprio apud Varronem et Plinium legitur) Flor. II. 48 *interscapulium* Hygin. Isid. DPl. I. 214 *internuntium* s. (-us Cic.) Ap. 472 *interfeminium* s. M. IX. 671 *lorificium* †. IV. 318. III. 225. VII. 484. X. 742. XI. 804 *meditullium* Ser. Sulp. ap. Cic. top. 8. 36. Amm. — M. VIII. 567 *nidificium* s. II. 126. XI. 691. IX. 778 *orificium* Macrob.: idem atque nidus, os: in utroque enim vocabulo faciendi vis, quae latet in terminatione -ficium, fere tota evanuit et nihil aliud efficitur, quam voces forma sonoque ampliores. — M. III. 224. VII. 472. 499. VIII. 577. IX. 614. 617. 631 etc. *praesepium*. A. quam formam, utpote quae rarior esset, antehabuit reliquis: praesepe praesepes praesepia. X. 719 *prolubium* Acc. Ter. Gell. V. 345 *parciloquium* s.*) Ap. 397 *praeripia* (-orum) s. M. I. 72 *promptuarium* Symm. Lact. ib. VII. 481 *superpondium* s. IX. 674 *scrutinium* s. Flor. III. 81 Mund. 326 *secretarium* Cod. DPl. I. 215 *seminium* Plaut. Lucr. Varro. — Denique haec Ap. 395 *olenticetum* Claud. Mamert. Flor. II. 42 *senticetum* Plaut. — M. I. 28 *cavillum* Aur. Vict. ib. I. 28 *palliastrum* s. ib. III. 219 *unctum* s. pro quo tum unguen, tum unguedo maluit. — Otiose terminatione -culum productum videtur *umbraculum*, quod non locum vel rem, quae umbram habet sive tegumento est, sed hoc significat ipsum cf. Ap. 535 *sub pilei umbraculo* DSr. 164 *sub quodam arboris opacae umbraculo*. Duplici deinde sensu, idque non sine exemplo, usurpavit *praecipitium* (Quint. Suet.): primum enim idem est atque praeceps locus M. VI. 402, tum praeceps iactus aut proprie: M. IV. 291 *laqueus aut gladius aut praecipitium capessendum est* aut translate M. X. 629 *praecipitium fidei*. Denique nonnullis in -ium exeuntibus communem, sed in his usitatiorem quam in illis notionis proprietatem commemoremus, qua non actionem aliquam designant, sed homines in ea occupatos complectuntur. Ex quibus minus insolita sunt M.

*) Cf. ex Tertulliano eiusmodi noviter composita: Apol. 45. maliloquium. D. Anim 6. minutiloquium s. DPaenit. 8. risiloquium. De Res. Carn. 4. spurciloquium. s. Pud. 17. turpiloquium s.

VII. 453 *tirocinium* cf. Liv. XI. 35 et M. V. 373 *ministerium* pro iis, qui ministrant (Tac. Plin. Suet.) et, quod paullo rarius est *officium* (Petron cp. 25) cf. M. IV. 294 *officio frequenti cognatorum et affinium stipatus.* At perbreviter et prope audacter, neque enim in lexicis eius usus exempla inveni, dixit M. VII. 453 *non moratur marinum obsequium* pro: di marini obsequentes non morantur. Postremum offici priori significationi addam non minus memorabilem usurpationem alteram M. XI. 781 *manus non jam pedes sunt sed in erecta porriguntur officia.* Atque ut iam secundae declinationis exempla absolvamus, statim pauca colligamus haec: M. IV. 271 *babulus* s. II. 138 *cavillus* s. Flor. I. 19. IV. 83 *funirepus* A. Ap. 564 *maccus* Nov. Pompon. ib. 582 *naucus* s. (-um Fest. p. 116. nauci esse, habere Enn. Plaut.) M. IV. 281 *sebaceus* s. Mund. 323 *semicirculus* Col.; denique notissima vox, quam notione prisca et obsoleta, sed eadem propria ac nativa usurpavit tum M. II. 111 *cetero mundo exornata mulier* Acc., tum VI. 384 *operae necessariae mundus omnis.* Enn. Plaut. Pers. I. 1. 46.

His collatis pergamus ad primae declinationis substantiva ordinatissime, quantum possumus, secundum terminationes enumeranda: M. I. 32. *adlubentia* s. Flor. IV. 83 *circumferentia* Isid. DPl. I. 217 *excandescentia* semel apud Cic. Tusc. IV. 9. 21; ex incerti libri frgm. *erubescentia* Tert. DPl. I. 207. 217. 241 *irascentia* A. ib. 217 *invalentia* Gell. XX. 1. ib. II. 242 *invidentia* Cael. Aur. (quod Cicero Tusc. IV. 8. 17 non aliter conformat nisi necessitate coactus) ib. II. 229 *placentia* s. Flor. IV. 83 *refulgentia* s. M. XI. 765 *volentia* Solin. M. VII. 458 *aggressura* Dig. DSr. 173 *cursura* Plaut. Varro. X. 717 frgm. *frictura* s. Flor. II. 52 *lacunatura* s. Mund. 309 *mollitura* †. M. IV. 272 *rasura* Col. Veget. De duobus huius terminationis vocibus notionibus propinquis inter se idem observandum est: *tritura* enim (M. IX. 618 tritura copulae) et M. V. 352 *pressura* (palpebrarum) prima et simplici usurpavit significatione, quum ante non inveniantur nisi peculiari terendi fruges premendique vinum (Varro. Col. Plin. Verg. Georg. I. 190). Tum: DPl. II. 233 *coquina* Arnob. Ap. 395 *foetutina(e)* Valer. Prob. ap. Gell. XIII. 21. 1. M. VI. 404. VIII. 511. X. 703 *furatrina* A. VI. 395 VII. 496 *indicina* Iul. Vict. Ap. 392 *mundicina(e)* s. M. VI. 432 VII. 471. Flor. II. 42 *rupina* A. M. VII. 484 *ustrina:* insolentiore ratione nihil significat aliud nisi ustionem, ardorem, quum

proprie deberet esse locus, in quo aliquid uritur*). Prae reliqua huismodi vocum raritate Apuleius hanc terminationem videtur dilexisse. Porro deinde una congeramus haec, quorum iam difficile est certum ordinem servare. Ap. 594 *fugela* Cato. M. III. 221. VIII. 557 X. 684. 714. 726. Ap. 510 *medela* Gell. Amm. Quint. decl. 13. Ap. 392. *nitela* Solin. M. IX. 628. 642. DPl. II. 261 *suadela* Plaut. Cist. II. 3. 24. (apud Horatium Epod. I. 6. 38 dea est Πειθώ). M. VI. 475 III. 208 *adorea* propria notione a Plauto, translata a recentioribus demum scriptoribus frequentatur, Front. Sidon. Claudian. praeter Hor. carm. IV. 4. 41**). M. II. 89. V. 353 Ap. 571 *alimonia* (-ium Tac.) Plaut. Varro. Gell. M. II. 159 X. 770 *baxea* Plaut. Tert. VIII. 505 Flor. I. 11. Ap. 500 DSr. 129 *bubsequa* Sidon. M. I. 34. 37. *caupona* s. V. 364 X. 712 *consequia* Lucr. VII. 388. V. 368. IX. 620. *coniuga* Inscr. Ap. 457 *dividia* Acc. Plaut. Ap. 521 *gumia* s. M. VI. 421 *gerula* Tert. Solin. (-us Hor.) DPl. I. 213 *hira* Plaut. ib. II. 240 *honoripeta* s. (Plaut. lucripeta). M. V. 355. *lucifuga*. Sen. ep. 122. *Laniena* translato sensu recentissimis tantum scriptoribus (Amm. Prud.) familiare est (proprio apud Livium XLIV. 16 legitur) cf. M. II. 165. III. 178. IV. 290. VII. 494. VIII. 591. IX. 592. M. IX. 636 *nacca* s. VII. 452 *notoria* ICt. Symm. *Prosapia* M. I. 8. III. 192 VIII. 509 X. 711 etc. quod aliis quoque (Sal. Suet) in usu est, non attulissem, nisi a Quintiliano Inst. I. 6. 40. expresse inter prisca verba esset relatum. M. V. 373. X. 724 *succuba* Prud. VIII. 575 *tumicla* s. III. 207 *utricida* s. Deinde commemoremus nonulla primae declinationis vocabula quorum in-**ies** finientem terminationem potiorem habuit solita aut quorum tota forma est inaudita: M. IX. 647 *blandities* s. VII. 455 *crassities* s. Ap. 401 *delicies* s. (-ia Plaut. Gell.) V. 371 *fallacies* s. IX. 645. XI. 780 *minuties* Arnob. (-ia Sen. Amm). X. 706 *pinguities* s. (-ia Arnob). X. 717 frgm. *spurcities* Lucret. (-ia Plin.) VI. 419 *saevities* s. (-ia Liv). IX. 651. X. 688 etc. *tristities* Turpil. Ter. Extremo denique loco nonnulla pluralia tantum eorumque singulares quasdam formas priscae tantum linguae usitatas colligamus: M. IX. 613. 687 *affaniae* s. (blaterare, balbutire affanias) Flor. I. 14 *antiae* Tert. ib. I. 15 *caproneae* Lucil. M. VII.

*) Arnob. VII. 15: ustrinae, rogi sunt et busticeta. Serv. ad. Aen. III. 22: Apparatus mortuorum funus dici solet . . crematio cadaveris bustum, locus ustrina.

**) Plin. h. n. VIII. 19. 83. XVIII. 3. 14. Gloriam denique ipsam a farris honore adoream appellabant.

223. V. 435. etc. *suppetiae* Plaut. B. Afric. M. IV. 249 *caula* s. (caulae Varro. Lucr. Verg.) DSr. 110. Ap. 401 *delicies* s. Ap. 518 *facetia* Plaut. ib. 393 *reliquia* s. M. V. 357 *tenebra* Lamprid: ex quibus duo, delicies et reliquia, ne Apuleio quidem aliter nisi in versu probata sunt.

Redeamus nunc, a quibus deflexinus quaestionem, ad tertiae declinationis appellationes. Ex quibus primum assumamus eas, quae ab appositis derivantur in **-tas**, reliquis et numero et gravitate antecellentes: DPl. I. 206 *aevitas* (temporis i. e. aeternitas) nativa atque casca forma pro vulgari aetas, quae in veteribus edictis legitur cf. Varr. ap. Non. 193. 2. Mund. 328 *crassitas* s. prorsus libidinose confictum, quum praeter solitum crassitudo Ap. 533 etc. etiam *crassities* M. VII. 455 usurparet. DPl. II. 215 *disparilitas* Varro. Gell. ib. II. 242 *exsecrabilitas* s. ib. II. 226 *fatuitas* (Cic. invent II. 32. 99) Mund. 362 *fuscitas* s. M. VI. 407 *impossibilitas* Tert. ib. I. 63 *incredulitas* Paul. Nol. Asc. 312 *incredibilitas* (sensu activo) Dig. DPl. I. 216 *irritabilitas* s. ib. II. 226 *incommobilitas* s. (vertit ἀοργησίαν) ibid. *indocibilitas* s. ib. II. 225 *inconcinnitas* Suet. Aug. 86. Asc. 310 *irrationabilitas* s. ib. 315 *immobilitas* Iustin. Arnob. Mund. 290 *liquiditas* s. M. I. 93 *medietas* (Cic. Tim. VII. 70.) Macrob. M. II. 129. III. 191. VIII. 529. IX. 627. 641. Ap. 436. DSr. 124 *nimietas* Pallad. Eutrop. Asc. 311 *nativitas* Tert. Dig. DPl. I. 216 *obaequalitas* s. M. II. 136 *pretiositas* Capit. Macrob. ib. II. 114 DSr. 108 *parilitas* Gell. XIV. 3. Mund. 303 *prolixitas* Arnob. Dig. Flor. IV. 97 *ruditas* s. DPl. II. 229 *religiositas* (i. e. ὁσιότης) Tert. M. VI. 405 *salebritas* s. III. 198. IX. 617 *scaevitas* Gell. Amm. IX. 627. Ap. 441. *solitas* Acc. Tert. DPl. II. 229. Asc. 291 *summitas* Tert. Amm. Asc. 314 *sempiternitas* Claud. Mamert. ib. 318 *validitas* s. Significatione non vulgari M. I. 29 *captivitas oculorum* pro caecitate fere intelligendum est, secundum eam rationem, qua dicimus aliquem esse oculis captum. *Credulitas* a notione, in qua natum est (etenim credulus is est, cui aliquid facile persuaderi potest, non, cui aliquid persuasum est) deflexit in fiduciae sive fidei alicui rei tributae notionem, ut Asc. 314 et M. II. 158: *vulgus . . facti verisimilitudine ad criminis credulitatem impelli:* quocum aliud exemplum ex prioribus scriptoribus vix comparare possis. Ex philosophica ratione dicendi, quae tum brevitatis adipiscendae gratia tum ad vertendas appellationes Graecas maiores sibi sumpsit insolentias, fluxerunt haec Mund. 333. *tanto rerum divortio non-*

dum sit eius mortalitas dissoluta (sc. naturae) i. e. natura, quippe quae vel quamvis mortalis sit, et Asc. 314 . . *sic et ipse semper gubernator vitalium vel totius vivacitatis eorumque . . dispensator est.* Tota vivacitas igitur, si et antecedentes et insequentes sententias adhibemus, omnia sunt, quae vivunt. Cuius simillimum est *frugalitas* quod M. IX. 685 *vicini tenuis incursabat pauperiem . . iamque tota frugalitate spoliatum* etc. aperte pro frugibus locum habet.

Rariorum deinde terminationum vocabula in-**or**-**tudo**-**do** novata deinceps colligamus: Flor. II. 41. Mund. 324. Ap. 422 *fluor* Arnob. Solin. (apud Celsum significat morbum). M. I. 28. VIII. 526. IX. 617. 650 *luror* Lucret. Claudian. I. 49. VII. 481 *mador* Amm. Arnob. Sal. ap. Non. 138. 6. Mund. 309 *ningor* s. M. IV. 242 *putor* Varro. Lucr. Stat. M. I. 62. III. 204. X. 735 etc. *pator* Scribon. Flor. III. 80 *rudor* s. M. IV. 291 *tendor* s. (sive *tundor* s.) DSr. 145 *tuor* s. Flor. II. 41 *viror* Vopisc. Prob. M. I. 17 *aspritudo* (iugi: Celso et Scribonio peculiari tantum medicinalis artis notione est usitatum) Asc. 316 *ambitudo* s. M. IX. 624 *acritudo* Acc. Vitr. Gell. *Beatitudo*, quod Cicero ad unius loci usum sibi conformavit (Cic. N. D. I. 34. 95. Quint. Inst. VIII. 3. 32.) in consuetudinem receptum est cf. M. V. 323. VI. 439. IX. 614. Mund. 362 celsitudo Vell. Cod. M. XI. 767 *hilaritudo* Plaut. ib. IX. 667. Ap. 388. DPl. I. 180 *habitudo* Ter. Auson. DSr. 122 *sanctitudo* Afran. Quadrig. M. V. 343. *teneritudo* Var. Suet. ib. III. 193. Ap. 468 *tristitudo* Sidon. M. II. 109 *nigredo* M. Cap. IX. 617 *putredo* Veget. Prud. III. 212 *unguedo* s.: pro quibus omnibus eiusdem originis appellationes, sed aliter exeuntes, lingua sincerior atque electior habuit. —

His optime adiunguntur vocabula in-**o** terminantia admodum memorabilia, quae maxima ex parte et ferme omnia in prisco tantum sermone reperiuntur et fortasse etiam in vulgari: quorum satis magnum numerum Apuleius sive ex antiqua consuetudine repetiit sive novavit: M. III. 206. VII. 448 *amasio* Prud. ib. II. 166. (IV. 253 †) *bibo* Firm. Ap. 564 *bucco* Plaut. Pompon. M. VIII. 573 *calcitro* Plaut. Varro. VII. 473 *equiso* Varro. Val. Max. II. 135. X. 709 *epulo:* optimis scriptoribus non ignotum est neque tamen aliter usurpatur quam de sacerdotio septemvirorum epulonum. III. 229 *gerulo* s. Ap. 469 *gulo* Macrob. ib. 521. M. VIII. 574 *lurcho* Serv. ad Verg. Aen. VI. 4 (lurco Plaut. Lucil. Cic. Att. I. 16. 13) M. VI. 444 *manduco* s. ib. I. 67 *mendico* †. ib. V. 375. 377 *nugo* s. Flor. I. 27 *rupico* s. (i. q.

rupex) M. VIII. 591. X. 693 *verbero* Plaut. Ter. Cic. ad Att. XIV. 6. 1. Ap. 575 bis repetitum: *vilico* s. ib. 573 *vulpio* s.

Atque his fere substantivorum ambitum absolvimus maioribus gravioribusque quibusque ordinibus perlustratis. Singula enim, ut Ap. 506 *cluden* s. ib. 472 *virginal* Prud. Solin. M. II. 137 *feminal* s. (Suetonius tantum feminalia dixit Aug. 82 de crurum fasciis) ib. II. 116 *signifex* Arnob. Sidon. vel ib. I. 67 *arrabo* Plaut. Cato, de quo Gell. N. A. XVII. 2. 21: *Sed nunc arrabo in sordidis verbis haberi coeptus ac multo videtur sordidius arra:* istius modi vocabula tenuia nimis ac dispersa sunt, quam ex quibus aliquis quaestionis percipiatur fructus. Extremo igitur loco afferamus iam nonnullas vocabulorum formas, quae ex vetustioris linguae usu, quaedam certe ex vulgaris consuetudine desumptae sunt: velut Priscian. VI. 18. p. 285 (Krehl.): *Antiqui tamen etiam ninguis dicebant, unde Apuleius in primo Hermagorae: Aspera hiems erat, omnia ningue canebant:* ningues praeterea plurali numero legitur Lucret. VI. 736. Atque de vocis *hiems* ipsius usurpatione Ap. 545: *Hiems anni erat* conferendus est Serv. ad Aen. II. 311: *Veteres hiemem anni dicebant ne tempestas posset intelligi.* Frequentior denique est generum commutatio: velut non lac sed *lactem* dixit M. VIII. 585 ni forte lacte melius legendum est*), quam formam antiquiorem (Cato. Enn. Plaut.) praeposuit M. VIII. 549. Sic etiam Ap. 594 *ganeum* dixit, quod Plautinum est (Men. V. 1. 3. Ter. Andr. III. 3. 5.) pro ganea, et M. XI. 775 *caduceum* et ib. VIII. 522 *nuntium* et Ap. 571 *uterum:* quod priscorum (Plaut. Afran.) nititur auctoritate cf. Non. p. 229. 33; deinde Mund. 334 *femineum sexus* quod Priscian. V. 8 p. 197 tradit probatum fuisse veteribus. Indidem sibi sumpsit etiam M. 617 *farinulenta cinis*: quod quidem reliquis, quae modo commemoravimus, frequentius occurrit**).

Atque hic aptissimus mihi visus est locus percensendi Apulei consuetudinem in usu substantivorum observatam, quae quamvis ad alteram partem syntacticam spectet, tamen ibi minus opportune poterat subici. Saepius enim iungit duo vocabula ita, ut alterum adiectivi induisse naturam non infitiandum sit: quod aut per appositionis speciem aut, longiore circuitu,

*) Gell. NA. XII. 1. 7. lactem quum Hertzius dubitaret ponere, delere tamen nollet, scripsit lacte(m).

**) Has mutationes generis vulgares idiotismos esse iam voluit: Heumann, Poecile 1729. pg. 316: De Latinitate plebeia aevi Ciceroniani admodum exile atque rude specimen.

per enunciatum relativum interpretandum est. In quo usu quum trita exempla iam apud Vergilium citentur (Aen. I. 21.) inde apud posteriores scriptores saepius repetita, Apuleius multo prioribus latius atque insolentius vagatus est. Saepissime autem hac ratione posuit vocabula in-tor-trix desinentia, quae propius ad naturam adiectivorum accedere applicarique posse, si nihil aliud, iam unus Livi locus VI. 2 *minime largitor dux* significaret, quod primum in puriore oratione exemplum esse contenderim. M. I. 15 *equus affector.* ib. III. 223. VII. 452 *equus vector.* Flor. III. 77. IV. 99. *equus advector.* M. II. 114. 164 *cantatrices anus.* VI. 417 *te textrices orabunt anus telam struentes.* III. 218 *perfruentur amatore bubone.* V. 364 *deus amator.* ibid. *caput . . quod istos amatores tuos oculos gerit.* ib. 368 *Sic locuto deo pastore.* IV. 251 *mei hospitatores iuvenes.* IX. 649 *veteratricem quandam feminam.* XI. 770 *sospitatricis deae pompa.* DPl. I. 198 *a fabricatore deo.* M. XI. 770 *catamiti pastoris specie.* X. 685 *ad quendam compertae gravitatis educatorem senem.* Quibus haec adiungamus minus vulgaria M. I. 38 *potens illa et regina caupona, quid mulieris est?* DPl. I. 217 *dominam illam reginamque rationem.* M. V. 310 *sorores procis regibus desponsae.* VIII. 467 *puella virgo.* III. 232 *rosae virgines matutino rore florebant.* IX. 651 *manus opifices.* Ap. 420 *speculi splendor opifex.* Multo minus memorabilia sunt haec M. II. 145 *sagae mulieres.* (Stat.) VIII. 577 *quempiam hominem servulum.* X. 700 *vicinis quibusdam duobis servis fratribus.* — Flor. I. 22 *tam magistri senes quam discipuli minores.* M. IX. 617 *muli senes vel cantheri debiles.* ib. I. 66 *de quadam anu caupona.* VI. 400 *formicarum accolarum classem.* Mund. 364 *hospitibus atque advenis fluctibus insulatas* (sc. regiones). V. 337 *maritis advenis ancillae deditae.* V. 338 *deam quoque illam deus maritus efficiet* leviora alia.

Sequitur ut **adiectiva** perlustremus eodem fere ordine, quem in percensendis substantivis secuti sumus. Ac primum quidem inter secundae declinationis apposita referamus ea **participia**, quae adiectivorum vices sustinent i. e. quorum aut comparativi et superlativi occurrunt gradus, aut verba simplicia non reperiuntur: M. IX. 616 *annulatus* (Plaut. Poen. V. 2. 21 proprie) hic non anulo ornatum sed compedibus vinctum significat. DSr. 117 *corniculatus* Fulgent. M. VII. 425 *caloratus* Fulgent. Mund. 340 *caesariatus* (terra viridantibus comis c.) proprio sensu ap. Plaut. Tert. M. V. 380 *cordatus* Enn. Sen. apocol.

p. 405. Lact. M. I. 19 *caseatus* Hieron. ib. IX. 628. X. 686. Flor. I. 7 *dissitus* Cod. Theod. DSr. 118 *defectior* s. ibid. *effetior* s. ib. 171 *exstructissimus* s. Flor. III. 65 *excuneatus* s. ib. II. 50 *famigeratus*. Mela. III. 7. 5. M. II. 83. IV. 240 *foliatus* Mart. ib. II. 177 *fistulatus* Suet. Nero. 3. Mund. 298 *frequentatior* s. Ap. 574 *Graecatior* s. (graecari Hor. sat. II. 2. 11. Tert. Pall. 4). DPl. I. 190 *inabsolutus* s. Flor. IV. 88 *ingeniatus* Plaut. M. II. 130 VIII. 579 *indusiatus* Plaut. Varro. LL. I. 131 (verbum indusiandi non prius legitur quam ap. MCap.) Mund. 364 *insulatus* Augustin. DSr. 127 *indefectus* Tert. ib. 161 *increditus* Sen. controv. V. 30. M. II. 136 *impunctus* s. (i. e. sine puncto) Flor. III. 80 *immeditatus* Gell. M. IV. 297. 310 *infortunatissimus* Tert. ib. IX. 611 *impuratissimus* s. (-atus Plaut. Ter.) ib. IV. 302 *incoronatus* s. ib. V. 347 *incontatus* s. Flor. I. 10 *infessus* s. Negativam vim, quam solito praepositio in adsciscit in compositionibus, neglexit M. VIII. 559 *incoactus* (.. in caseum recentem) et XI. 811 *inunitus* pro coactus et unitus. — M. IV. 286 *minutatus* †. Asc. 243 *muscicatus* s. M. I. 13 *nummatior* s. (-us Cic.) ib. I. 68. IX. 651 *oppessulatus* Amm. Asc. 288 *particulatus* s. ib. 307 *praegnatus* s. Flor. IV. 102 *praediatus* MCap. Ap. 558 *purpurissatus* Plaut. Sidon. Asc. 288 *soliditatus* †. M. X. 683. XI. 778. Ap. 474 *striatus* A. M. VI. 387 *subsitus* (non a verbo subserendi ductum) M. VIII. 584 *tesseratus* s. (Suet. Caes. 46 tessellatus). Flor. III. 80 *variatior* s. Significationis mutatio notanda est in *praeditus*, quod cum dativo coniungitur eodem sensu quo praefectus (Fronto.) cf. DPl. I. 133. Ap. 413 *Venerem praedita quae sit optimati amori.* Nativa deinde ratione, praeter Apuleium soli Plauto familiarem *literatus* (Cic.) positum est M. III. 206. IX. 616. VI. 388 *lacinias auro literatas*. Inusitatius, sed non inaudito modo (Sal. Iug. 76.) *infectus* de eo dictum est, quod fieri non potest M. I. 61, quod ibidem duobus versibus ante „impossibilis" erat; similiter sed aliquanto insolentius DPl. I. 191 *indictus* usurpavit, ubi iam alterius appositi innominabilis additione patefit notio = id quod dici non potest: cuius alterum exemplum nusquam inveni. Ad hanc rationem propius accedit *conspectus* notio, quae et ipsa altero adiectivo addito manifesta fit M. X. 711 *conspectus atque famigerabilis* cf. Verg. Aen. VIII. 588. Non vulgare est etiam *collectus* pro angustus, adstrictus, Ap. 439 *tanto beatior futurus quanto collectior.* (cf. Tert. D. Monog. 14.) Reliqua denique ut *suspectus* pro suspicax M. IX. 630 (Tac.) et *defectus* absolute positum de aegro

vel defesso M. V. 360. 361. 367. et *affectus* aeque solum per se de qualicunque re debilitata et male mulcata M. I. 34. III. 224 IV. 314. memoratione minus digna sunt. Potius ad verba referenda sunt haec participia praesentis M. VIII. 563 *buxans* s. (pallor.) ib. I. 30. III. 172. IV. 240 *punicans* A. II. 127 *tuberans* s. formaque similia Mund. 334 *semisonans* Ter. Maur. M. V. 354 *semihians* Catull 61. 220*). Porro examinemus (antepositis duobus gerundi formis M. XI. 813 *impoenitendus.* s. ib. II. 119. Ap. 504 Flor. II. 56 *incredundus* A.) ea apposita, quae a verbis deflexa in-**bundus** finiunt verborumque naturam retinuerunt ita, ut eorum casum sibi adsciscerent: DSr. 145 *auxiliabundus* s. Ap. 566 *bacchabundus* Curt. IX. 10. 17. ib. 442 *certabundus* s. ib. 561 *excusabundus* s. M. VIII. 509 *gaudibundus* s. ib. III. 173 *imaginabundus* (carnificem) s. ib. II. 141 *murmurabundus* (indigna) s. ib. XI. 792 *munerabundus* s. IX. 672 *nutabundus* Lact. XI. 765. Ap. 587 *osculabundus* (manus) Suet. Vitr. M. III. 214. IV. 363. Ap. 546 *periclitabundus* (sui-faciem-voluntatem) A. M. II. 95 *rimabundus* (haec) s. Ap. 301 *spumabundus* s. — Diverse a ratione ea, qua huiusmodi vocabula conficta sunt, opponitur inter se DSr. 126 *immortalibus animis-moribundis membris*: quocum confer non prorsus quidem congruentem sed „mortalis" notioni iam proximam Verg. Aen. VI. 732 terrenique hebetant artus moribundaque membra**).

Quibus absolutis pergamus ad adiectiva in -**osus** terminantia, ex quibus non pauca sunt prorsus incognita ante. M. IV. 278. VII. 499 *cinerosus* A. Ap. 410 *calumniosus* Arnob. Dig. M. XI. 707 *compendiosus* Col. I. 4. 5. Prud. Sidon. ib. VIII. 537 *fallaciosus* Gell. XIV. 1. 34. M. I. 19 *glutinosus* Col. Cels. ib. V. 335 *gemmosus* s. X. 734. XI. 777 *gestuosus* Gell. Ap. 491 *instudiosus* s. ib. 427 *iurgiosus* Gell. V. 29. 7. M. V. 335 VIII. 583. *lanosus* Col. VII. 3. 7. Flor. I. 19 *meticulosus* Plaut. Cod. M.

*) Quae particulae semi-facillima compositione novata sunt participia, in transcursu enumeremus haec M. I. 28. VII. 455. IX. 651. „semiamictus" A. ib. I. 22 „semiamputatus" s. ib. I. 54 „semisopitus" s. IX. 600 „semiobrutus" s. (saepius Flor. X. 599. Flor. II. 30 semirutus Liv.) X 696 „semiclausus" s. ib. 616 „semirasus" Catull. 59. 5. — M. III. 199 „semiadopertulus" s. — Deinde adiectiva M. III. 177 „semiconspicuus" s. V. 324. XI. 766 „semirotundus" A. VII. 461. 445 „semitrepidus" VII. 571 „semicanus, deniqueAp. 445 „Semigaetulus". „Seminumida. Semipersa. Semimedus" s.

**) Usitatius est, quod ipsum quoque cum poetarum more (Hor. Carm. I. 28. 4. II. 3. 4. Lucan. II. 524) ei commune est „moriturus" quasi fere mortalis M. IV. 303: Et imaginem meam circumferre puellam morituram (Aliter est M. VII. 500. IX. 641.)

XI. 768 *nubilosus* s. (nubilosa caligo: at ib. III. 220 nubila caligo). M. V. 333. VIII. 522. 568 Flor. I. 19 *populosus* Veget. Sidon. Amm. M. IX. 645. Ap. 552 *propudiosus* Plaut. Gell. Arnob. M. VII. 477. *pulposus* s. DSr. 131 *robiginosus* Plaut. Fronto (translate Mart. V. 29. 7.) Flor. IV. 90 *senticosus* Afran. M. XI. 752 *silentiosus* s. ib. X. 733 *scelerosus* Ter. Lucr. Varro. ib. VIII. 549 *sarcinosus* s. VI. 445 *scruposus* Plaut. Lucr. Lucan. Amm. M. I. 21 *tortuosus* Tert. ib. VII. 483 *viriosus* (i. e. validus) vox Afrorum et inprimis Tertulliani propria. M. IX. 610. 614 *voraginosus* B. Hisp. 29. Amm. ib. IX. 620 *virosus* Lucil. Afran. Gell. V. 29. 7. M. V. 348 IX. 617 *vaporosus* A. Flor. II. 46 *obstreporus* s. III. 67 *sudorus* s. Diversa ab ea ratione, quam terminatio -osus desiderat, *generosus* M. V. 375 quasi generabilis dictum est, de eo qui gignere potest; tum *plagosus* (M. IX. 616 dorsum p. VIII. 520 crura p.) patiendi notionem induit, quum Horati notissimo loco ep. II. 1. 70 in agentis speciem de homine dictum sit: est autem vox varissima. Deinde *mendosus* non ut vulgo significat mendis plenus, sed fere dolosus. M. IX. 611 *mendoso risu cavillantes.* Ceterum *famosus* praeclari sive illustris notione (M. IX. 627. XI. 798) iam apud scriptores, qui post Augusti aetatem vixerunt, invenitur. Denique *curiosus* M. I. 17 significatione ab optima latinitate aliena, nimirum quia res posterioribus demum temporibus exstitit, is dicitur, qui speculatur et excipit verba alicuius et in acta inquirit, ut ea criminose deferat imperatori vel magistratibus cf. Suet. August 27.

Sequantur quae in **-arius-orius** exeunt apposita: Flor. IV. 88 *ambifarius* Arnob. M. I. 15 *ambulatorius* Plin. h. n. XXI. 14. 80. Vitr. Veget. ib. VII. 460. X. 714. *asinarius* Cato (substantivum est apud Varr. Suet. Aug. 96 Tert.) Ap. 457 *cuppedinarius* Ter. Lamprid. X. 693 *cruciarius* Petron. Tert. (hoc loco non eum designat, qui cruci destinatus aut affixus, sed qui cruce dignus est propter nequitiam, mastigiae simile convicium cf. Amm. IX. 2.) M. X. 701 *dulciarius* (pistor) Lamprid. ib. X. 617 *iumentarius* Dig. ib. I. 27 *magnarius* (negotiator) cf. Orelli Inscr. 4264. M. II. 162. V. 344. IX. 594. X. 726 *momentarius* Dig. (maritus-salus-venenum m.) ib. VII. 475 *machinarius* Solin. Dig. Flor. I. 18 *monumentarius* s. Ap. 430 *mutuarius* s. Asc. 297 *multifarius* Gell. M. IX. 637 *occursorius* s. Ap. 495 *piscarius* (p. argumentum sc. quod de piscibus sumptum est) Plaut. (substantivum Varro. Dig.) Ap. 516. DPl. I. 211.

promptuarius Cato. Amm. (M. I. 72 substantivum promptuarium Symm. Lact.) M. II. 152. X. 686. 695 *praesentarius* Plaut. Gell. ib. IV. 303. IX. 646 *partiarius* Tert. Dig. ib. VI. 418 *polentarius* Plaut. ib. X. 698 *peremptorius* (p. venenum) Tert. ICt. ib. VIII. 570 *ruderarius* s. ib. I. 58 *stabularius* Dig. (substantive Sen. benef. I. 15) ib. IV. 255 *scrutarius* Lucil. Ap. 412 *vulgarius* Afran. Gell. Arnob. Quantopere huiusmodi longas graviterque sonantes formas dilexerit, ex usurpatione eorum apparet: neque enim *praesentarium venenum* M. II. 152 aliud quidquam est quam praesens venenum, neque *solitarius*, quod Cicero et ut quisque eum secutus est, posuit pro eo, qui a consuetudine conventuque hominum remotus, qui in solitudine vivit, ullam adscivit solivagi vel deserti rationem, sed idem est quod simplex solus M. IV. 257 *solus ac solitarius*. III. 187 *hominem solitarium tres tam validos evitasse iuvenes.* Denique non omittamus levem neque incognitam ante notionis deflexionem, qua *precarius* M. VII. 499 non, quod precibus ad tempus impetratum est, sed remota earum ratione nihil aliud significat, quam quod alibi (M. II. 162) momentarius. Sequitur, ut enumeremus pauca in terminationes rariores -entus et-neus exeuntia: Asc. 311 *corpulentus* Plaut. Gell. Quint. VI. 1. 47. DSr. 144 *feculentus* s. Ap. 394 *foetulentus* Arnob. M. IX. 617 *farinulentus* s. DSr. 138 *glebulentus* (p. terra) s. M. IV. 287 *iurulentus* Cels. Ap. 491 *iussulentus* s. M. II. 94. IX. 654 *mustulentus* Plaut. Ap. 534 *macilentus.* Plaut. Arnob. ib. 466 *pisculentus* Plaut. Solin. M. I. 81. VIII. 591. X. 729 *somnolentus* Solin. ib. II. 88. X. 706 *suculentus* Prud. Paul. Nol. ib. II. 103 *virulentus* Gell. Deleta terminationis propria vi *potulentus*, quod solet esse potui idoneus dictum est de homine M. III. 181 quasi ebrius cf. Suet. Otho. cp. 2. M. II. 114. *Cinnameus.* ib. V. 325 *coaetaneus* Tert. ib. III. 175. IV. 268 *circumforaneus* (hostiae, domus, i. e. quae circumferuntur: apud Cic. ad Att. II. 1. extr. significat id, quod circum forum vel in foro situm est). DPl. I. 201 *erroneus* Col. VII. 12. 5. DPl. I. 190. 204 *incorporeus* Gell. Marcrob. M. IV. 238. Flor. II. 43 *mineus* A. M. III. 174 *miscellaneus* (Gell. Tert. Iuv. XI. 19 plurali tantum utuntur „miscellanea"). M. II. 146 *oculeus* Plaut. Aul. III. 6. 196 M. VII. 575 *sparteus* Cato. Col. Flor. II. 43 *subluteus* Arnob. M. VIII. 577 *succidaneus* (asinus pro homine) Plaut. Iustin. Gell. DSr. 140 *terreus* Varro. M. I. 63. VI. 391. VII. 485. Flor. II. 65. *ultroneus*, semel apud Sen. quaest. nat. II. 59. Atque his longioribus ordinibus absolutis, varia per-

censeamus minoris ambitus ita, ut aliquam certe colligendi normam observemus: M. IV. 240. 301. VI. 404 *attiguus* Aggen. Urb. 63. ib. VI. 426. VII. 447. DPl. II. 239 *congruus* Plaut. Dig. M. II. 177 *defluus* Stat. Th. IX. 325. M. XI. 769. DSr. 118 *perfluus* A. M. IX. 615 *indiguus* Paul. Nol. (ib. XI. 806 supplicue) M. II. 148 V. 362 *antependulus* s. M. IX. 651. Flor. I. 15 *anteventulus* s. M. II. 112. III. 177. XI. 758 *dependulus* A. Flor. I. 15 *propendulus* s. V. 362 *retropendulus* s.: quae omnia ubique fere de crinibus sunt usurpata. Deinde: M. IX. 666 *cernulus* Gloss. DSr. 108 *eminulus* Varro. Flor. II. 46 *gemulus* s. ib. I. 32 *interulus* Vopisc. Prob. (M. VIII. 534 *interula*. sc. tunica). Verbo faciendi compositione noviter sunt conformata DPl. I. 192 *beatificus* August. Ap. 393 *candificus* s. Flor. II. 46 *expergificus* s. (expergificare. Gell.) M. II. 167 V. 384 *laetificus* Enn. Lucr. Stat. DSr. 169 *significus* s. Asc. 287 *vivificus* Amm. Flor. II. 42 *voluptificus* s. In -inus terminantur, etsi ratione sunt varia haec: M. II. 89 *aquilinus* Plaut. Pseud. III. 2. 63. ib. II. 109. *corvinus* Plin. h. n. X. 12. 15. M. XI. 770 *hircinus* Plaut. Prud. Plin. h. n. XII. 17. 40. M. VII. 485 *igninus* s. ib. IX. 616. Flor. I. 28 *lividinus* A. (lividinare Petron. cp. 138) M. IX. 645 *naccinus* s. ib. VIII. 588 *pecuinus* Cato (translate usurpatum est Ap. 412) M. III. 196. IV. 265 *paupertinus* Varro. Gell. Tert. Flor. I. 13. I. 25 *relicinus* (r. comae) s. Mund. 312 *aequidianus* s. M. IV. 240 *hortulanus* Apic. Tert. ib. X. 711 *triduanus* Paul. Nol. Hieron. DPl. I. 204 *ultramundanus* M. Cap. M. II. 116. *concinnaticius* s.ib. VI. 445 *insuticius* s. M. III. 228 *ortivus* Manil. *Passivus* tum a verbo pandendi ductum significat „promiscuus" ut M. VI. 399 *passiva congeries*. ib. IX. 661 *passivis morsibus*. XI. 756 *passive dispersa*. Firmic. Tert.; tum dictum est a patior DSr. 148 Arnob. Gramm.*)

Atque commemorata adhuc apposita omnia insignivit et distinxit maxime terminationis proprietas. Iam cetera in -us et -ius non tam accurate separata sed promiscua conferamus: ex quibus pleraque sunt notanda propter compositionis novitatem. Multifariam autem in usu eorum ad priscum sermonem adspirasse videtur Apuleius. Inde enim illa sesquipedalia verba aut substantivi verbique compositione formata aut a verbis

*) Huius vocis primum auctorem Apuleium fuisse nonnulli concludi volunt ex DSr. 148. Ibi enim: „daemones sunt genere animalia . . . . animo passiva" et paullo infra: „quae propterea passiva non absurde, ut arbitror, nominavi.

longiore ambitu atque insolenter derivata: qualium figurationum, excultioris linguae temporibus obsoletarum, proponere libet, antequam ad singula accedamus enumeranda, non minus insigne quam aptum ad illustrandam rem exemplum: M. X. 716 *meretricium poscinnummia vel adventorum negantinummia* (Hildebrandius maluit negotinummia) *basiola*. His vocabulis quid licentius, quid audacius potest effingi! quae quamvis a nullo scriptore ante unquam usurpata sint, tamen non sine exemplo dicta sunt i. e. non contra leges et analogiam eius potissimum linguae, cuius comicorum veterum (maxime etiam eorum, qui mimos composuerunt et atellanas) reliquiis vestigia certe nobis prodita sunt*). DPl. I. 195 *aequipedus* s. DSr. 164 *adnuntius* Ambros. Ap. 432 *benesuadus* s. M. X. 700 *condignus* Plaut. Gell. III. 7. 1. (M. XI. 808 condigne.) M. I. 25 *cauponius* Plaut. Justin. Dig. Mund. 324 *discolorus* Symm. Prud. (discolor Ovid.) Ap. 405 *dulciloquus* Auson. Sidon. M. VI. 406 *exartus* s. Mund. 336 *flammidus* s. Flor. II. 59 *fatiloquus*, (semel praeterea ap. Liv. I. 7 fatiloqua.) DSr. 142 *humectus* Cato. Amm. M. I. 9 *indigenus* s. (indigena Liv.) ib. II. 144. VI. 408 *inconnivus* (oculi, vigilia) A. (inconnivens Gell.) ib. VI. 385 *illuminus* s. III. 212 *insonus* Amm. (Mund. 334 insona litera = muta) Mund. 290. 371 *interminus* Auson. Prud. M. XII. 802 *invinius* s. ib. IV. 278. IX. 655 *illunius* A. (illunis Plin. Sil.) ib. XI. 766 *iniurius* Plaut. Ter. Flor. I. 12 *illutibarbus* s. Ap. 552 *lenonius* s. ib. 419. 551. M. II. 98 *morigerus* Plaut. Lucret. M. V. 352 *multinodus* Prud. (ib. X. 735 DPl. I. 193 *multimodus* Liv. XXI. 8.) ib. IX. 613. 618 *multivius* A. ibid. 619 Flor. I. 14. 36. IV. 87. Ap. 465 *multiscius* A. Mund. 323 *multicolorus* Gell. Prud. Flor. II. 46 *omnicanus* s. Flor. I. 17. *omnimodus* Lucr. Ap. 481 *oviparus* (vertitur ᾠοτόκος) Auson. M. I. 79 *obstupidus* Plaut. Gell. DPl. I. 195 *octangulus* s. M. V. 329 etc. *perdius* Gell. Amm. Flor. IV. 87 *perfacundus* Justin. M. I. 12. V. 371 *peralbus* A. Ap. 451 *pergnarus* (Sal. ap. Non 554. 21.) ib. 479 *peregregius* s. ib. 562 *periniurius* Cato. Min. Fel. DSr. 155. M. VI. 405. XI. 766 *penitus* Plaut. Gell. DSr. 117. *protumidus* s. M. VI. 398. Ap. 476 *spurius* ICt. Amm. Ex primo Hermagorae ap. Prisc. IV. 6. p. 160 *scius* Pacuv. Petron. cp. 63. Lact. M. XI. 815 *spumidus* s. ib. VI. 387 *sublucidus* s. ib. VII. 474 *subiugus* Plin. h. n. XXX. 50. 62. M. VI. 418 *teriugus* Auson. ib.

*) Haec aliaque ut „illutibarbus, horricomis, horripilare“ iure arbitror dici posse: volksthümliche Zusammensetzungen, secundum: Fuchs, die roman. Sprachen pg. 166.

II. 150. Flor. IV. 86. DSr. 138 *totiugus* A. DPl. II. 227 *unimodus* Prud. DPl. I. 195 *vigintangulus* s. Ap. 481 *viviparus* (i. e. ζωότοκος).

Ex usu huius generis adiectivorum desumamus **activae et passivae notionis** non infrequentem et inusitatam interdum **mutationem.** Sic M. V. 368 *inscius trames* is est, quem aliquis non novit: quod quidem vocabulum multo rarius patiendi ratione usurpatur, quam quae ei forma notioneque proxima sunt, ut nescius, ignarus, quae apud poetas indeque nimirum etiam apud Apuleium ignoti vices sustinent cf. M. V. 343 *nescia sarcina.* VII. 543 *nescio dolore.* VII. 494 *via ignara;* deinde caecus M. X. 729 *caeca pernicies* Ap. 452 *perniciem caecam et inevitabilem.* M. II. 139 *caecas et inevitabiles latebras*; denique V. 357 *caecae tenebrae* i. e. in quibus nihil cerni potest. Ne haec quidem omittanus: *innoxius* M. VI. 410. IX. 664. 667. V. 368. passivo sensu usurpatum, quamquam iam ante. (Sal. Tac.) est usitatum; *improvidus* non incautus sive imprudens sed improvisus aperte significat his locis M. III. 207 *improvidae noctis caligine deceptus.* ib. II. 168. *lumen, quo nitebamur, exstinguitur, ut vix improvidae noctis caligine liberati* etc. Versa vice agentis notionem adscivit *pervius,* quod non de loco, sed de homine dictum M. III. 217 *ego quamvis ipsius aquilae sublimis volatibus toto coelo pervius* prorsus congruenti exemplo caret: paullo aliter enim est Sil. X. 249 *pervius ensis.* Prorsus vero inversa est legitima solitaque notio appositi *refluus* (Ov.), quod non de maris fluctibus, qui a litore refluunt, sed de litore ipso usurpavit, unde recedunt M. IV. 307 *proximas oras reflui litoris petit.* — Restat ut pauca in notione adiectivorum usitatorum inusitatiora afferamus, velut, quae vulgaris proprietas videtur, omnis et toti commutatio cf. M. III. 210. VI. 427 *toti di.* VIII. 510 *totos homines.* VII. 463 *totos quidem miseruit.* IX. 661 *totis illis* etc. Huc conferas etiam M. I. 62 .. *eamque* (sc. spongiam) *parvus admodum comitatur cruor* i. e. paullulum cruoris, eadem, quae apud Graecos non rara est μικροῦ et ὀλίγου promiscua usurpatio. Oppositum huic est M. VII. 463 *quorum poterit unus magnis equidem talentis puellam istam praestinare:* cui non prorsus apte comparari potest Vergilianum illud Aen. V. 248: vinaque et argenti magnum dat fere talentum*). Tum eius significationis *alti* mentionem faciamus, qua omnino gravis vel magni partes agit M. IV. 245 *altior vindicta.* VIII. 590 *metuens*

*) Conferri potest „tantus-quantus“ pro „tot-quot“ apud Tertullianum Apol. I. 46. 50. Nat. I. 9. D. Idol. 6. D. Spect. 5. et saepissime.

altius. (praeterimus magis solita M. IV. 290 *altius eiulans.* ib. 303 *altius fremens.* VIII. 547 *altius miserantes.*) aut idem fere est atque admodum, valde cf. M. VI. 441 *tu mihi videris alte prorsus malefica.* V. 381 *alte rursus concito gradu.* Eadem *solidi* est notio M. III. 200 comicis et inprimis Plauto frequentissima. Satis memorabilem denique significationis proprietatem afferamus eam, qua *abstemius*, quod solito designat hominem ab intemperantia cibi vinique abstinentem, satis manifesto usurpatur de eo, qui nondum ederit aut potaverit Ap. 523 *ieiunus adhuc atque abstemius* (cf. Paul. Nol. ep. 7.): ad quam unicam paene loquendi consuetudinem accedit fere M. VII. 469 *vinum .. vinolentiaque madidis ipse abstemius non cessat impingere.* Iam in reliquis notionum levioribus immutationibus (*primus* pro primarius, praestans cf. Flor. I. 32 ib. II. 43 *Rostri prima duritia; ultimus* et *extremus* passim pro nequissimus M. III. 182. VI. 242. IX. 624 *alienus* pro alius Ap. 561, deletaque graviore quasi abalienandi vi fere quasi remotus M. VIII. 522. V. 366: proceritas spatii fecerat alienum) diutius non opus et commomorari.

Iam igitur ad **tertiae declinationis apposita** transeamus. Ex quibus primum assumamus in -is terminatia ea, quae quum secundae tertiaeque declinationis exitu varientur, in medio quasi posita sunt. Est autem haec terminationum commutatio, aeque atque adverbiorum duplici forma in -e et -iter conformatorum, quae indidem manavit, ad vulgaris linguae usum revocata. Apuleius aut utramque formam locis usurpavit diversis aut ex duobus insolentiorem certe, quae a puriore sermone abhorruit, sibi delegit: M. V. 356 *concinnis* s. (Gell. XVIII. 2. concinniter.) Flor. I. 13 *festinis* †. M. I. 17. XI. 752. 813 *inanimis* A. — M. I. 22 *enervus* s. Ap. 551. DPl. II. 243 *enervis* M. I. 22 *exossus* s. Ap. 492. 551. *exossis* A. (exos. Lucret. III. 721). M. IV. 239 *hilarus* Plaut. Ter. Gell. Cic. ad Att. XVI. 3. 1. V. 20. 5. M. I. 73 et saepissime *opiparis.* M. X. 702. V. 350. DSr. 170 *opiparus* Plaut. Pers. IV. 4. 1. M. IV. 281 *retrogradis* s. (-us Sen.) *Sublimus* (Acc. Gell. IV. 7.) bis legitur M. III. 217. 176 *sublimo suggestu. Totiugis* semel tantum occurrit Flor. I. 36 *totiugi scientia magnificus*, multo tamen crebrius *totiugus* M. II. 150. IV. 314. Flor. IV. 86. DSr. 110 *totiuga sidera*: vox est mere Apuleiana. M. VII. 461 *unanimis* Claudian. (-us. Liv.) — Atque his variatione exitus memorabilibus pauca in -is desinentia addamus forma maximeque compositione novata: M. IX. 626 *defamis* s. ib. VII. 461 *depilis* Varro. M. Cap. ib. IV. 281

VII. 466 *horricomis* A. ib. VI. 373. Ap. 594 *investis* Pallad. Tert. M. II. 87 *inenormis* s. (proceritas. insolentiore praepositionis in vi dictum est, quasi: non ita enormis*). Asc. 303 *innominis* s. *omninominis* s. M. XI. 801. *multinominis* s. Asc. 288. 302. 319. *omniformis* Prud. Flor. I. 10 *pluriformis* s. M. XI. 762 *uniformis* Tac. Orat. 32. Macrob. M. XI. 759 *semestris* s. (i. e. semi-mensis) ib. IV. 240 *rurestris* Dig. MCap. ib. XI. 810 *pervigilis*: rarissima pro pervigil terminatio.

Sequitur ut apposita in **-abilis-ibilis** finientia percenseamus: quorum productas et ponderosas plenoque ore profandas formas praecipue dilexit. Potuit praetera terminatio omnibus radicibus facile accommodari neque minima pars in libris DSr. DPl. Asc. Mund. reperitur, ubi prope necessarie desiderabantur ad philosophicam sententiarum brevitatem cogitationumque difficultatem aequandam: quam excusavit ipse DPl. I. 200: *detur enim venia novitati verborum rerum obscuritatibus servienti.* DSr. 124 *Aequiparabilis* Plaut. Prud. M. I. 9. VIII. 534. IX. 623 *aerumnabilis.* Lucret. ib. XI. 791 *adorabilis* s. DPl. II. 238 *appetibilis* Macrob. Ap. 478 *cohibilis* Gell. DPl. I. 200 Ap. 536 *cogitabilis* Sen. ep. 58. 13. DPl. II. 240. 246. 262 *culpabilis* Tert. Arnob. M. I. 32. 84. VII. 488. X. 683 *cruciabilis* Gell. Arnob. ib. III. 185 *cachinnabilis* A. ib. VII. 464 *conducibilis* Plaut. A. Her. II. 14. 21. Ap. 536 *effabilis* s. M. IV. 241 *eiulabilis* s. ib. I. 32. II. 143. IX. 600 X. 711 *famigerabilis* Varro. LL. VI. 7. 66. M. III. 216. XI. 806 *irremunerabilis* s. (utrobique: irr. beneficio

*) Quocum alteram eiusdem praepositionis nativam quidem sed raram comparemus rationem M. V. 323 „informis", quod non, ut vulgo, deformis significat, sed rem forma vel corpore carentem indicat: quae significatio prorsus adversatur usus normae, quam proposuit Priscian I. p. 541: informis dicitur mulier non quae caret forma sed quae male est formata. cf. DPl. I. 190 „formas quas ἰδέας idem vocat inabsolutas, informes" et l. c. V. 323 „voces informes audiens", idem, quod paullo ante ibid. 322 dixit: „visenti offert sese vox corporis sui nuda". Atque huiusmodi notionum insolentias, quae a vulgari loquendi usu recedentes ad priscam vocabuli rationem, in qua natum est, adspirant, Apuleium adamasse et callide quaesiteque affectasse alias quoque patefit. Nunc appositum priori simillimum conferre satis sit „inhumanus", quod quum omnino sit quidvis ab homine remotum, vulgo tamen notionem fere induit homine indignus. Secundum naturam autem compositionis nimirum etiam dici potuit de eo, quod hominis facultatem ac captum excedit sc. divinus, coelestis, ut M. V. 334: (Psyche) „inhumanae mensae lautitiis eas opipare reficit." Ad hanc notionum propinquitatem alusit etiam DSr. 159 „coelestem quidem sed paene inhumanam sententiam tuam".

pignerari.) (ib. II. 87 inextimabiliter †). M. VIII. 529. XI. 787 *ineffabilis* Plin. h. n. XXVIII. 2. 4. Amm. ib. IX. 616 *inoptabilis* s. ib. 622 *inseparabilis* Sen. ep. 118. 85. ib. XI. 801 *ignorabilis* Plaut. Gell. cf. Cic. invent. II. 32. 99. DPl. I. 190 *innominabilis* Tert. ib. 191 *improcreabilis* s. ib. 192 *infinibilis* MCap. ib 203. Mund. 292 *inerrabilis* Augustin. DPl. II. 239 *inresolubilis* Amm. Asc. 300 *invisibilis* Cels. Tert. ib. 302 *insensibilis* Gell. Lact. ib. 323 *inaversibilis* s. ib. 308 etc. *intelligibilis* Sen. ep. 124. Amm. Macrob. Mund. 373 *ineffugibilis* s. Ap. 585 *irreposcibilis* Sidon. ib. 459 *liquabilis* Prud. M. X. 745 *multiforabilis* s. DPl. II. 238. Flor. II. 58 *naturabilis* A. DSr. 128 *nutabilis* s. M. XI. 798 *observabilis* Quint. IX. 1. 20. (Flor. III. 70. M. VIII. 506. X. 726 *praenobilis* Prud.) M. II. 183. DPl. II. 234 *rationabilis* Sen. beat. 13. 5. Dig. M. X. 687 *ululabilis* Amm. Ap. 476 *vincibilis* Ter. DSr. 144. Asc. 310 etc. *visibilis* Plin. XI. 37. 54. Prud. Mund. 295 *vitiabilis* Prud. — Perversa est determinationis ratio in his: Asc. 312 *incredibilis* dicitur is, qui aliquid non credit, non id, quod credi non potest, ut etiam ibid. *ignoratio et incredibilitas.* A legitima patiendi notione ad agentis deflexit *generabilis* Asc. 298: *sine alieno conceptu est sola generabilis.* Simile est quod Ap. 476 legitur: *cum haec ab illis quasi gravia et vincibilia dicerentur* i. e. quae vincerent iudices: (ubi alterum exemplum attulit. Hildebrandius ex Burm. Anthol. II. p. 329 *vincibilem pete clangorem* i. e. quae vincat sive tollat lunae defectionem). Nititur autem haec lectio optimorum codicum auctoritate et recentissimo quoque Apologiae editori*) est probata. Separatim denique commemorandum est *ignobilis* quod M. V. 326 *Iamque aderat ignobilis maritus* de Cupidine noctu ad Psychen veniente, plane idem est atque ignotus, quum ceteroqui obscuri et inglorii semper habeat significationem certe aliquo modo admixtam, fortasse praeter unum Plautinum locum Pseud. IV. 2. 9. His proxima sunt pauca, quae in -ilis exeunt: M. IV. 268 *confixilis* s. ib. XI. 756 *dapsilis* Plaut. Col. ib. X. 705 *electilis* Plaut. Most. III. 2. 41. M. VI. 445 *fartilis* Plin. X. 22. 27. Tert. ib. V. 343 *infantilis* Iustin. Dig. ib. XI. 756 *locutilis* s. Flor. I. 13 *multiforatilis* s. Mund. 353 *natatilis:* plurali numero natatilia dicit de toto piscium genere, ut Prud. περὶ στεφ. 10. 332. M. III. 204. IV. 276 *perflatilis* A. ib. X. 713 *pictilis* s. ib. I. 28. IX. 616 *scissilis* Cels. Veget. Reliquus est longior ordo eorum, quae

*) ed. Gustav Krueger. Berlin, Weidmann 1864.

in -**alis** - **aris** determinantur: **M.** IV. 288 *asinalis* s. (verecundia.) M. XI. 788. *ancoralis* (apud Liv. Plin. substantivum ancorale in usu est) ib. I. 49 *coronalis* s. Ap. 539 *capularis* (senex). Plaut. Lucil. Serv. ad. Aen. VI. 222. M. XI. 797 *dorsualis* Amm. Solin. DPl. II. 230 *finalis* Sidon. Macrob. Dig. **M.** VIII. 549. 585 XI. 815 *gaudialis* A. Asc. 304 *inanimalis* Tert. DPl. II. 248 *intemporalis* Prud. M. IV. 303. XI. 761. Ap. 536 *initialis* Amm. M. VIII. 526 *inferialis* s. (Gloss.) ib. I. 29. XI. 754. Ap. 533 *larvalis* Sen. ep. 24. Amm. ib. II. 122. IV. 278 *latrocinalis* Amm. Flor. I. 36 *lenticularis* s. M. VII. 480 *medullaris* s. (dolor.) ib. VII. 457 *monetalis* (aurum) Dig. Cic. ad Att. VII. 10. 11. M. X. 746 XI. 754 *originalis* Tert. Macrob. XI. 773 *pectoralis* Cels. Amm. ib. VIII. 506 *popinalis* Col. ib. III. 183. VIII. 533. X. 742 *proeliaris* Plaut. Macrob. ib. III. 204 *scandularis* s. ib. IV. 262. XI. 761. 816 Ap. 536 *spontalis* A. (spontaliter Sidon.) DPl. I. 196 *vicenalis* s. *Frugalis*, quod ex ea notione, de qua natum est, vulgo decessit ad translatam parci, modesti, positum est proprie, quod rarissime usuvenit Mund. 356 *frugalis maturitas* (i. e. frugium). Postremum singula conquiramus, quae priorum ordinibus non subici poterant: M. X. 721 *applex* s. (appliciore nexu) ib. VII. 475 *congrex* Solin. Ap. 467. 558 *illex* Plaut. Prud. Symm. Flor. I. 15. III. 78 *aequipar* Sidon. Asc. 310 *primipotens* s. M. IV. 289. XI. 774. X. 732 *summas:* Plautina vox Amm. Sidon. ib. II. 134 *primas* Amm. Cod. Theod. DPl. II. 245. M. III. 195 *impos* (DSr. 122 imp. veritatis.) Plaut. Sen. Agam. 117; denique quod antiquissimis poetis proprium erat *perpes* DSr. 117. Flor. III. 78. M. II. 613. III. 179. 144 *perpetem noctem.* Pacuv. Plaut. Solin Prud.; cascum est etiam et semel tantum dictum Flor. III. 64 *deincipiti die* cf. Paul. Diac. p. 75. 4: *deincipem antiqui dicebant proxime quemque captum.* Forma tantum ab usitatis vocibus differunt paullo M. VII. 291. XI. 770 *mansues* Acc. Plaut. Gell. et *opulens* pro opulentus (Sal. Iug. 72. Nep. Chabr. 3. Auson.) quod rusticum magis dicitur esse. cf. DSr. 171. M. VIII. 549 *castellum frequens et opulens.*

Sed quum huc usque nobis processerit oratio de adiectivorum rarioribus formis, iam usus eorum nonnullas proprietates ad illustrandam Apulei dictionem non leves pertractemus. Ac primum quidem apposita, plerumque numero plurali, cum genitivo saepissime coniunxit ita, nt substantivorum speciem induere viderentur, velut quod statim initio metamorphoseon occurrit I. 12: *ardua montium et lubrica vallium et roscida cespi-*

tum et glebosa camporum: qualia ut orationis vilem mediocritatem spernentis venustiora ornamenta variandi caussa immodice in suum usum convertit multoque omnibus, qui adhinc Ciceronis aetatem eam figuram, linguae iam liberioris indicium, non aspernati sunt, profusius. Exempli gratia nonnulla huiusmodi colligamus pro substantivo usurpata: M. I. 28 *deterrima fortunae.* ib. I. 28 *vera comperta memorare.* ib. II. 97 *Capillis et id genus frivolis inhalatis.* ibid. *imis Tartari submergere.* Asc. 310 *imum sphaerae.* M. II. 163. 118 *arcana fatorum.* III. 200. XI. 801. *operta adyti.* IV. 247 *per obliqua devexa.* ib. 317 *per devexa rupis.* ib. 248. V. 332 *per prona.* III. 230 *per avia montium.* Mund. 289 *Ossae ardua.* M. IV. 290 sc. ad *sectae suae sueta* conferunt. Mund. 301 *finitima rubri maris* ib. 328. *ad superna* . . ora tollentes ib. 329 *solida terrarum.* Asc. 322 di inhabitant *summa coelestia.* M. V. 354 *in profundum calamitatis* sese praecipitavit (ib. III. 213. IV. 240. V. 346. 365. VII. 477. VIII. 552 *in altum* subsilit etc. ib. VII. 490 *nimium libidinis.* III. 230 *opulentiae nimium,* et haec saepissime: IV. 264 *rerum cuncta-singula,* III. 220 *cuncta corporis.* ib. 178 *cuncta civitatis* . . circumire. II. 165. IV. 274 *fallaciae reliqua.* I. 30 II. 87 *cetera corporis.* V. 368 *multum viae.* Hoc loco M. XI. 766: *in ipso subterraneo semirotundo* subterraneum ad instar substantivi dictum est pro Orci locis inferis: contra M. V. 324 *semirotundum* substantivi partes agit pro hemicyclium sive sigma (mensarum in epulis positarum figura). Ex iis appositis, quae sola pro se posita per ellipsin substantivi alicuius complenda videntur, praeter haec M. II. 151 *tantillula animalis* X. 679. 713. *illa praeposito meo* frequeutissime occurrit, quod nullo modo insolitum est, *parvulus, parvula* M. V. 344. 345. VIII. 561. 565. V. 347 X. 731. III. 186. 187. tum M. II. 140 *His meis addidit alius* quodque etiam a nostratium vulgari sermone non alienum est M. IX. 656 *Nec moratus meus* (sc. dominus meus). Altera in usu appositorum non praetermittenda insolentia est ea, qua neutra tum singulari tum etiam plurali numero adverbiorum loco posuit Apuleius, poetarum imitatione ductus, sed poeticam licentiam longe et frequentia exemplorum et immoderatione supergressus: M. I. 46. *infimum dejectus.* ib. I. 7. *aeternum.* Hor. ep. I. 10. 41. M. II. 99 *urit perpetuum.* V. 378 *dulce conquievit.* II. 106 ego quae *dulce condiens* et ollam et lectulum *suave quatere* novi. VI. 393 *dulce cantitant* aves melleis modulis *suave resonantes.* II. 156 *ultimum defletus.* (Liv.) III. 220 *obliquum respiciens.* VI. 384 *longum exclamat.* Flor. II. 47 *maxi-*

mum exclamat cf. Plaut. Most. II. 2. 57. M. VIII. 534 *prolixum eiulat.* ib. V. 372 Venus *irata solidum.* VI. 401 *subridens amarum.* ib. 411 *renidens exitiabile.* DSr. 147 nubes *sublime volitant.* M. X. 745: nunc *mite conniventibus* nunc *acre comminantibus* gestire pupulis. Pluralis numeri rariora nimirum exempla conquisivimus haec: M. I. 58 *saeva et gravia somniare.* ib. II. 104. 132. III. 191. 230 *crebra succutiens, subsiliens, singultientes tundentes.* V. 362 *inquieta lasciviunt.* XI. 716 *praeclara micantes.* VI. 427 *canora personabant* (nisi forte „voce" supplendum est). II. 101 *retrorsa respiciens.* X. 710 ciliis *alterna connivens**).

Absolvimus fere adiectivorum genus. Proximum est, ut **ex adverbiis** eligamus ea, quae ab optima latinitate aliena sunt: quae pars modicis circumscribetur regionibus. Atque ut ante a participiis orsi sumus, nunc quoque initium faciamus ab adverbiis a participiis formatis ex iisque primum praesentis temporis, in quibus nonnulla sunt admodum memorabilia: M. IV. 275 *callenter* s. XI. 732. 778. X. 769 *consequenter* Dig. Asc. 296 *competenter.* Hieron. Ap. 537 *competentissime* s. M. X. 708 *esurienter* s. V. 351 *fastidienter* s. VI. 397 *ferventer* Cael. ap. Cic. fam. VIII. 6. 5. Augustin. Ap. 550 *intemperantissime* (-ter Cic.) M. IV. 291 *instantissime* s. (-ter Quint. Suet.) M. IV. 253. 283. IX. 660. 721. XI. 765. 807. *incontanter* M. Cap. V. 356 *latenter* s. Ap. 546 *observanter* Gell. Amm. M. XI. 752 *obsequenter* s. Ap. 506 *perseveranter* s. Flor. I. 30. II. 78 *rarenter* Cato. Varro. Gell. M. VII. 477 *satianter* s. VIII. 536 *simulanter* s. II. 129 *undanter* M. Cap. VI. 402 *volenter* s. — Ap. 448 *asseverate* Gell. (Cic.: asseveranter). ib. 561 *districtius* Tert. (-e Plin.) M. I. 56 *exerte* Tert. Amm. II. 148. VIII. 591 *expergite* A. V. 378 *efflicte* Sidon. XI. 814 *exercitius* s. (exercite nusquam legitur.) Flor. I. 39. M. III. 76 *effectius* A. (-e Mart.) ib. III. 76 *perfectius* Veget. Tert. (-e. Cic.) Ap. 481 *perose* s. (-us Liv.) Deinde ea adverbia, quae ex secundae tertiaeque declinationis adiectivis conformata iisque prorsus usitatis, constrictior et accuratior usus Ciceronis aspernatus est, hic non praetereamus, quamvis

*) Quae omnia quamvis crebro occurrant et satis audacter dicta sint, tamen non consenserim cum interprete Apulei Hildebrandio, locum M. I. 63: „comitem misellum arenosa humo in amnis vicinia sempiterna contexi" ita explicante, ut sempiterna adverbialiter intellegendum esse contendat: aptius enim cum vocabulo vicinia coniungitur ex eaque coniunctione sumenda est notio adverbialis.

habeant insolentiam levissimam et nonnunquam certe fortuitam: Ap. 390 *absone* Gell. (-us Cic.) M. I. 42 *consone* s. (-us Cic.) XI. 808 *condigne* Plaut. Gell. ib. II. 94 *faberrime* s. (faber Ov. met. VIII.159) ib. VIII. 581 *fanatice* s. (-us Cic.) ib. VIII. 579 *graphice* Plaut. (-us Plin.) X. 695 *inconcinne* s. (-us Cic.) X. 720 *novissime* = denique s. (Scribon. novissimum). M. I. 68 *prospicue* s. X. 737 *saltatorie* s. (-us Cic.) XI. 806 *supplicue* s. III. 212 *voluptarie* s. (-ius Cic.) M. I. 34. X. 725 *ultime* A. — Ap. 384 *futiliter* s. M. V. 269 *inextricabiliter* s. (-is Verg.) VII. 495 *inciviliter* Amm. (Suet. Tit. 6.) ib. III. 205 *ignorabiliter* s. (-is Cic. invent II. 32. 99.) M. IX. 651 *intervocaliter* s. Flor. IV. 88 *invincibiliter* s. Mund. 357 *iugiter* Auson. ib. 369 *immutabiliter* Dig. (-is Cic.) M. III. 86 *lugubriter* s. (-is Cic.) M. I. 57. 72 *ociter* A. DPl. I. 198 *rationabiliter* Cod. Theod. (-is Sen.) M. VII. 493 *sublimiter* Cato. Col. Asc. 286 *uniformiter* Arnob. (-is Tac.) M. I. 68 *vocaliter* Tert. (-is Cic.) Asc. 286 *venerabiliter* V. Max. VI. 5. Macrob. Congessimus supra nonnulla adiectiva, quae vocantur abundantia, quorum formas insolentiores ob id ipsum Apuleio gratiore fuisse vidimus. Idem animadvertere licet in adverbiis: quorum in **-iter** exeuntem terminationem obsoletam et fere inauditam tum proposuit, quum legitima atque optimo cuique scriptori probata in e - desinit, velut: M. I. 67. X. 728 *ampliter* Plaut. saepissime. Lucil. Gell. IV. 251 *aviditer* Arnob. M. I. 67 *crebriter* Vitr. X. 13. 7. M. III. 178 *cruenter* s. ib. V. 361. VI. 438. XI. 758 *decoriter* Iul. Val. IX. 623 *ignaviter* Lucil. Hirt. ap. Cic. ad Att. XV. 6. 2. ib. M. VIII. 520 *miseriter* Enn. Catull. 63. 49. Ap. 472 *munditer* Plaut. Poen. I. 2. 26. M. I. 70. X. 730. *properiter* Acc. Pacuv. Auson. (frequentius M. III. 219 etc. propere Sal. Verg. usurpavit) M. II. 157 *severiter* Plaut. Titin. Pauca deinde quae in -o exeunt adverbia ab appositis aut substantivis derivata componamus haec: M. II. 116 VII. 498 *crastino* Gell. II. 29. 9. Flor. II. 55. Ap. 492. 573. M. III. 202. VII. 467 etc. *clanculo* Macrob. DSr. 167 DPl. I. 183 *commodo* Plaut. Sen. ep. 70. 15. M. II. 100 Ap. 419 *diutino* (at M. II. 124 diutine Plaut.) M. IX. 665 *insperato* Plaut. Aul. arg. I. 14. M. VII. 492. IX. 653 *matutino* Plin. IX. 646 *partiario* Cato. Flor. III. 62. *de repentino* s. (Flor. III. 64. Mund. 364 repentino Plaut. Cic. Quint 4. 14.) M. I. 52 *anteluculo* s. ib. I. 43. IX. 621. *antelucio* A. ib. II. 133. X. 685 *impendio* Plaut. Ter. Cic. ad Att. X. 4. 9. Gell. M. II. 98 *puncto* (temporis cf. IX. 666. X. 700); denique *postliminio* quod Cicero propria tantum significatione usurpat, sae-

pissime legitur pro: postea, rursus M. I. 766. III. 221. IX. 635 vel „post“ M. II. 159 X. 699 p. mortis IV. 292 p. pressae quietis: qui vocis usus mere est Apuleianus. Quibus postremum adnectatur, quod forma diversa, ratione eadem est: *ingratis* sive ingratiis M. I. 80. II. 142 Plaut. Gell. Nep. Themist. 4., et *diu* antiquus ablativus a dies flexus cf. Mund. 354. Ap. 390. M. IX. 748 noctu diuque.

Deinde a vocabulis et appositis derivata adverbia perlustremus in -**itus** - **atim** (-im) finientia. His rarioribus terminationibus Apuleius in primis videtur delectatus esse multaque sibi delegit insolentiora, priscis tantum poetis usitata aut pro arbitrio noviter pacta, illa linguae facili atque libera fictione sua sive efficaci licentia, qua novitatis quasi titillantis et ubertatis profusae delicias in dicendo assequeretur. De terminationis -atim gratissima ei atque immodica cumulatione ad efficiendum gravem vel acutum quendam concentum supra disseruimus. (cf. M. IV. 243. VIII. 550. Flor. I. 38.): DPl. I. 206 *coelitus* Lact. Amm. M. IV. 266. IX. 657 *imitus* Gell. Cassiod. ib. XI. 816 *largitus* Afran. VII. 449. Flor. IV. 92 *medullitus* Plaut. Enn. Varro. Amm. M. I. 45 *naturalitus* Sidon. ib. I. 41. III. 202. X. 733. Flor. I. 38. Ap. 418 *publicitus* Plaut. Enn. Gell. — Quae in -atim et -im terminantur, enumeremus non separatim sed promiscue: M. III. 175. IX. 674 *angulatim* Sidon. IV. 253. 282 *agminatim* Solin. IV. 253 *aggeratim* s. ib. I. 47 *bacchatim* (discerpere) s. XI. 801 *capreolatim* s. ib. 717 *concitim* s. (sive fortasse conatim s.) II. 126 *cessim* Varro. Iust. III. 173 *coxim* (grabatum insidens) Pompon. Ap. 474 *congestim* s. Flor. I. 38 non singulatim ac discretim, sed *cunctim* s. et coacervatim Cael. Aur. Quanti momenti haec similiter cadentium parique sonitu sibi respondentium terminationum captatio, quibus et suavior et strictior evaderet sensus subtilis oppositio, in verbis fingendis fuerit, inde iam colligi potest, quod cunctim praeter hunc locum semel tantum idque non aliter nisi cum eadem antistropha legitur DSr. 126: homines . . . *singulatim* mortales, *cunctim* tamen universo genere perpetui. *Contraversim* quod legebatur Ap. 422 e textu eiecit Kruegerus. Flor. I. 38. M. VI. 384 *discretim* Amm. DSr. 107 *directim* Macrob. Ap. 562. M. I. 38. III. 201 *efflictim* (deperit iuvenem) Plaut. M. II. 103. IX. 663. 631 *frustatim* Pompon. Prud. IV. 242 *fistulatim* s. II. 103. III. 176 *fartim* Auson. II. 177. XI. 771 *guttatim* Plaut. Arn. VI. 400 *granatim* s. II. 169 *iunctim* Gell. Suet. Claud. 14. M. VII.

550 *laciniatim* s. II. 125. 166 *pressim* A. II. 128. V. 357 *paululatim* A. (*perpetim*, quod in lexicis est, Ap. 549. M. II. 99. meliorum codicum auctoritate improbatur). M. X. 748 *sparsim* Gell. Propter determinationis non derivationis similitudinem hic interponere liceat *examussim* M. II. 165, eiusdem notionis voce adamussim aliquanto rarius. (Plaut. Gell.) Quibus congestis pauca restant et gravitate inferiora et dispersa nimis ac singula, quam ut certum percensendi ordinem servare possemus: Flor. IV. 91. Ap. 387 *ambifariam* A. DSr. 107. *omnifariam* Gell. Macrob. — Flor. II. 50 *exadversum*, absolute positum. M. IV. 246 *undiqueversum* Solin. Gell. etc.: totius enim sequioris latinitatis proprium est. IV. 247 *quaquaversus* Plaut. — IX. 647 *altrorsus* s. Flor. I. 18 *laevorsum* Amm. Ap. 492 *contraversum* Solin. Amm.; pro deorsum saepissime dixit *deorsus* M. VIII. 508. X. 672. Flor. III. 52. DSr. 142. itemque antiquam formam veteribus comicis frequentem *prorsum* saepenumero praetulit ut M. II. 175. V. 319. 342. IX. 615. Flor. I. 36. Cum *secus* haec insolentius composita sunt: M. I. 55. II. 134. III. 204. V. 322 etc. *altrinsecus*. Plaut. Lact. M. II. 123. V. 353. XI. 785 *circumsecus* A. *forinsecus* inusitatiore significatione pro foras M. III. 213 forinsecus evolat. IX. 648 forinsecus abiicit. M. II. 93. IX. 674. X. 691. 705. *utrimquesecus* Lucr. IV. 937. Amm. Solin. *Secus* ipsum quod his adverbiis suffixum est, adversus consuetudinem purioris sermonis positum est cum loci quadam ratione M. I. 68 *modico secus progressus ostium accedo*: in quo usu respiciendam puto originem particulae a verbo sequendi ductae. Eiusdem comparativus gradus eaque potissimum forma, quae vetustior est *sequius* secundum loquendi morem Plautinum (sed etiam ap. Col. III. 4. Sen. benef. 6 42.) εὐφημισμοῦ quadam specie dicitur pro eo, quod aliter i. e. peius vel infelicius evenerit opinione cf. M. IX. 649. VIII. 530. X. 683 *nihil etiam tunc sequius suspicatus*. XI. 766 *sequius interpretatus aliquis maligne criminabitur*. ib. 814 *de fide . . opinari coeptabam sequius*. Formas denique ut M. I. 44 *aliquantisper*, quod non invenitur nisi apud comicos veteres posteriorisque aetatis scriptores, non tanti momenti esse ratiocinamur: etenim si tantisper Cicero dixit, cur tandem veritus esset aliquantisper fingere? Iam itaque hic in disserendo de adverbiis apud Apuleium memorabilibus ad tempus consistere e re duximus. Nam omnium, quorum mentionem fecimus, adhuc et certa genera discernere ordinemque certum servare licuit et plerorumque ea ratio fuit, ut forma essent

insolita et aut nusquam aut certe rara tantum praeter Apuleium reperirentur. Dehinc opus erat singula, quae plane nota usitataque ab Apuleio notione a recta dicendi norma aliena usurpata sunt, deinceps pertractare: inter quae prae ceteris adverbia pronominalia referenda sunt. Cuius quaestionis, ne in tam dissipata materia nimis dissecetur, aptius offeretur occasio in parte altera, ubi de universa iungendi ratione inibique de particularum vario genere fusius erit disputandum.

Atque quum huc usque ita nobis progressa sit quaestio, ut omnia amplecteretur vocabula, apposita, adverbia aliquo modo illustria, tamen a certo genere eorum retinuit sese et amplitudine et gravitate spectando: **deminutiva** dico. Caussam rationesque, quas secutus scriptor in usu eorum inaudito plurimus est, iam significavimus supra. Ante omnia igitur iis appetivit sermonis tum petulantem lasciviam tum ridiculas facetias; deinde nonnulla ex blandae cuiusdam ac vulgaris sermocinationis proprietate manaverunt, nonnunquam denique sectatus est etiam soni quandam amplitudinem. De naturali eorum vi et quibusdam peculiaribus significationibus quaerere supersedeo, quum de ea re plenissime atque peracute disputaverit G. Müller *De linguae Latinae deminutivis* (p. 56. 92.). Hic satis sit statuere, eum in usurpandis iis plurimum neque in confingendis novis moderatum fuisse, omnium, qui ante eum scriptitaverunt, consuetudinem longe egressum. Unum exemplum ante liceat proponere, quo demonstretur, quam profuse ac libidinose, (praecipue in descriptionibus sermonibusque voluptariis, quibus scatet) iis luxuriatur **M. II.** 103 *Ipsa linea tunica mundule amicta et russea fasciola praenitente altiuscule sub ipsas papillas succinctula illud cibarium vasculum floridis palmulis rotabat in circulum:* his duobus circiter versibus, si accurate numeraris, invenies octo in iisque compluria insolentius novata deminutiva. Sed iam accedamus ad substantiva nova aut rara ordine enumeranda declinationum, non habita simplicium vocabulorum declinationis ratione. Si enim originationem eorum respiceremus, stricta nimis partitione ordo diffinderetur. M. XI. 760 *ansula* V.Max. Sidon. ib. I. 68 *adolescentula* Plaut. Ter. ib. V. 357 *caucula* †. IV. 249 *cannula* Cael. Aur. IX. 672 *cistula* Plaut. ib. 679 *civitatula* Sen. apocol. p. 852. M. X. 705 *contentiuncula* †. ib. I. 41 *diecula* Plaut. Ter. Cic. ad. Att. V. 21. M. VI. 514 *damula* s. ib. IV. 293 *domuscula* s. (vel melius: domuncula Vitr. V. Max.) IX. 675 *fenestrula* s. VI. 400 *formicula* Fronto. Ar-

nob. X. 734 *gemmula* Fronto. Ap. 393 *gingivula* Veget. M. X. 730 *infantula* s. VIII. 580 *lanceola* Capit. Maxim. II. 117. V. 342 *lupula* A. II. 116 *mensula* Plaut. Petron. X. 717 *morula* Augustin. VIII. 567 *morsiuncula* Plaut. M. I. 17 *operula* Dig. II. 104 *ollula* Varro. III. 218 *pinnula* Plaut. Col. V. 347 *perula* (translate dictum est: proprie Sen. ep. 90) M. IX. 658 *ranula* Veget. M. IV. 265 *rescula*, quod contra grammaticorum praecepta flexum est, optimorum codicum fide traditur. M. VIII. 561 *sepicula* s. X. 708 *scurrula* Arnob. X. 743 *sagittula* s. Flor. I. 35. *strigilecula* s. M. III. 231 *turbela* Plaut. ib. X. 750 et saepius: *turbula* A. IX. 600 *uxorcula* Plaut. Varro. XI. 778 *urnula* Varro. XI. 813 *viriculae* s. Ap. 559 *aquariolus* Tert. Lamprid. M. IX. 593 *astulus* s. (non satis firmatum est). III. 271 *babulus* s. Ap. 395 *denticulus* Vitr. Pall. Ap. 474 *flucticulus* s. M. VI. 416 *fusticulus* Pall. ib. I. 43 etc. *grabatulus* A. II. 113. IX. 657 *gustulus* A. Ap. 469 *hamulus* Cels. M. VIII. 565 *infantulus* Nazar. IX. 712 *lacunculus* s. ibid. *lacertulus* s. Ap. 533. 534 *Mercuriolus* s. Mund. 298 *naevulus* Gell. Fronto. M. VIII. 577. X. 720 *palumbulus* A. Ap. 397. 426 *pulvisculus* Plaut. Solin. M. VIII. 577 *pullulus:* Plin. h. n. XVII. 10. 1. translate de ramis semel usurpavit. M. VII. 485. IX. 646. X. 734 *puellus* Plaut. Lucret. Lucil. ib. VII. 455 *pannulus* Amm. VIII. 586. XI. 814 *quaesticulus* Cic. fam. IX. 16. 7. M. I. 77 *seniculus* s. VII. 477 *torulus* Plaut. Varro. Vitr. X. 718 *basiolum* Petr. cp. 85. Ap. 492 *corculum* Plaut. (cognomen est notum). M. I. 61 *frustulum* s. I. 71. IV. 259 *gurgustiolum* A. Ap. 599 *herediolum* Col. Gell. V. 344 *incrementulum* s. VI. 433 *membranulum* s. V. 344. VI. 422 *punctulum* A. VIII. 516 *retiolum* Augustin. Serv. Ap. 512 *sudariolum* s. Ex frgm. ap. Prisc. III. p. 615 *scamellum* s. (Vitr. scamillus) M. IV. 263 *tuguriolum* Arnob. III. 215 *unctulum* s. (-us Varro). VII. 461 *viaticulum* Dig. Ap. 473 *veretillum* s. M. II. 135 *xeniolum* Dig. Sequantur adiectiva et adverbia promiscue collecta: Flor. IV. 98 *austerulus* s. M. IX. 650 *astutulus* s. ib. II. 101 *argutulus* Cic. ad Att. XIII. 18. Ap. 533 *ampliusculus* s. M. II. 103. VIII. 590. XI. 778 *altiuscule* A. X. 729 *blandicule* s. V. 382. X. 708. XI. 516 *bellule* Plaut. X. 739 *curiosulus* s. III. 196. II. 115 *dicaculus* Plaut. I. 46. VIII. 574 *dicacule* A. Flor. I. 6. III. 67. 88. IV. 101. M. II. 123 *diutule* Gell. Macrob. 'Ανεχομ. 19 *fessulus* s. M. II. 131. Flor. I. 14 *glabellus* A. Flor. I. 7 *longule* Plaut. Ter. (-us Cic.) M. VII. 461 *lantiusculus* s. III. 215 *mellitulus* Plaut. II. 103 *mundule* s. II. 204. 219 *plusculus* Ter. Col. (-um Cic). X. 717 *pluscule* s. X.

703 *pauxillus* Plaut. Lucr. IX. 600 *praeastutulus* s. Flor. II. 53. *procerulus* s. Flor. I. 35 *pressulus* s. M. V. 306. X. 717 *pressule* A. *Pauculus*, quod plurali numero ipsi Ciceroni non inusitatum est, Apuleius solus singulari ponere ausus est M. XI. 814: post pauculum tempus. M. I. 34. II. 101. III. 201. *scitulus* Plaut. Arnob. ib. VII. 466. IX. 593. X. 738 etc. *scitule* A. ib. I. 45. VI. 436. IX. 651. 667. IX. 813 etc. *saepicule* Plaut. ib. II. 103. *succinctulus* s. III. 199 *semiadopertulus* s. II. 119 *suffusculus* s. Ap. 393 *tumidulus* s. M. IV. 255 *timidule* s. M. VIII. 508 *tempestillus*: formatum est a prisco adiectivo tempestus. quod prae ceteris innotuit locutione: nox tempesta. M. II. 170 VIII. 517 *tantillus* Plaut. Catull: quod deinde forma exaggeratum notioneque exacutum est: M. II. 151 *tantillulus* ib. II. 169 *vastulus* s.

Restat, ut ad absolvendam totam de nominibus quaestionem paucis attingamus **verborum Graecorum** usurpationem. De qua non disputari potest in universum propter dictionis librorumque diversorum varietatem. Quod si metamorphoses solas contemplabimur, orationis vere Apuleianae exemplar illustrissimum, rarissime eum verba a Graecis petiisse mirabimur eaque fere omnia, quae iam quotidiano paene usu latinitatem erant adepta. Pleraeque enim sunt rerum appellationes, quarum, quum ex Graecorum consuetudine desumpsissent ipsas, ne nomina quidem immutaverant Romani. Illa vocabula, pro quibus latinae linguae propriae voces potuerunt usurpari, rara tantum recepit neque alia, nisi quae iam priori scriptori probata erant: neque enim plura quam duo aut tria in metamorphoseon libris graeca vocabula civitate donata esse invenio. Ne in philosophicis quidem scriptis minore moderatione ne dicam verecundia usus est: in quibus quamvis reperiantur plures Graecae voces inusitatiores, tamen et numero admodum paucae sunt et natura sui ipsa habent quandam excusationem. Plerumque enim ex philosophicae dictionis proprietate manaverunt, quam solemus dicere τεχνικὴν, quam tum latine vertere est veritus, quum orationis aut brevitati aut perspicuitati noluit officere. Vulgo enim in eo summam diligentiam posuit indeque palmam doctae facilisque facundiae quaesivit, ut pleraque vocabula Graeca quam maxime congruenter adaequaret Latinis: quod ei, qua erat infreni atque immoderata neque inhabili fingendi licentia, facile contigit, ut Ap. 481 *viviparos et oviparos, ita enim latine appello, quae Graeci* ζωοτόκα καὶ ᾠοτόκα. Quo videmus ipsum gloriatum esse cf. Ap. 491: *res paucissi-*

mis cognitas Graece latine propriis et elegantibus vocabulis conscribo et ib. 481: *in quibus* (sc. scriptis meis) *animadvertes cum res cognitu raras tum nomina etiam Romanis inusitata et in hodiernum, quod sciam, infecta, ea tamen nomina labore meo et studio ita de Graecis provenire ut tamen latina moneta percussa sint**). Est autem haec scriptoris ceteroquin immoderatissimi in Graecorum vocabulorum usu arte circumscripta moderatio admodum memorabilis, praesertim quum in universa iungendi ac struendi ratione tam multa ex Graecorum liberiore ideoque gratiore more in suum usum aut converteret aut certe ei adsimularet. Praeterea origine neque Graecus fuit neque Romanus: Africa oriundum scimus eum aliquot aetatis annos degisse Athenis et Romae ad accuratiorem linguae Latinae cognitionem enixum esse studiis atque exercitatione. Iam eruditione ingenti multimodaque doctrina totus graecissavit, quippe qua omnes Graecorum disciplinas literasque esset complexus. Ad adumbrandam autem hanc Graecorum vocum abstinentiam constituimus omnes, quas a Graecis aut vetustiores aut recentiores demum scriptores receperant, ex libris metamorphoseon et de Magia et Floridorum colligere usque ad tritissimas**).

*) Non incommodum neque e re arbitror, cum hoc Apulei studio comparare Tertullianum, apud quem profusus et nonnunquam fastidiosus est Graecorum vocabulorum usus. Is de usurpatione eorum non bene vitanda ita censuit Adv. Valent. 6: Igitur hoc libello . . . ne quem ex nominibus tam peregrinis et coactis et compactis et ambiguis caligo suffundat, quo modo iis usuri simus, prius demonstrabo. Quorundam enim de Graeco interpretatio non occurrit ad expeditam proinde nominis formam, quorundam nec de sexu genera conveniunt, quorundam usitatior in Graeco notitia est. Igitur plurimum Graeca ponemus.“ Sed apud Tertullianum immensa redundansque eorum multitudo excusatur eo, quod primus ferme omnium ausus est Christianae fidei decreta pronunciare lingua latina, neque proponere tantum, sed etiam subtiliter explicare atque acriter defendere contra et paganorum et haereticorum insectationes. Quae omnia quum a Graecis essent orta Graecaque lingua inde a primordiis novae fidei exculta, indidem huiusmodi certaminum necessarie repetenda erant armamenta.

**) Ex iis, in quibus philosophiae materias tractavit, quorum nimirum diversa est ratio, inusitatiora in transcursu conquisivimus haec. DPl. I. 195 trigon, sphaera, pyramis, cubos. ib. 203 aplane. ib. II. 230 symbole ib. 232 politice; vertit tamen: Civilitatem, quam politicen dicit. Asc. 297 apocatastasis. ib. 302. 309 angelus. 320 clima Vitr. 322 aroma Dig. Prud. ib. 323 catholicus Eccl. DSr. 104 schedium Lucil. Petron. ib. 149 cymbalista, tympanista, chorea etc. Mund. 295. typhon. ibid. quas Graeci cometas et docidas et bothynas appellant. ib: 313—318 permulta ventorum Graeca nomina etc.

M. I. 47 *astu* Cic. I. 38 *aulaeum* Cic. II. 161 *adytum* Caes. Flor. IV. 94 *aroma* Prud. Dig. XI. 775 etc. *amphora* Cic. IX. 657 *calathus* Verg. Col. Ap. 416. M. II. 140 *choragium* Cic. ib. V. 340 *cataplasma* Cels. Plin. Ap. 466 *creterra* Cic. ib. 416 *crocota* Cic. har. resp. 21. 44. Plaut. M. II. 105 *chorus* Cic. VIII. 578 *choraula* Plin. Flor. I. 18 *ceraula*. s. Flor. I. 30 *cothurnus* Cic. M. II. 97 *chaos* Ov. ib. XI. 769. 804 *chlamys* Cic. ibid. *crepida* Cic. XI. 760 *cymbium* Verg. XI. 787 *carchesium* Lucil. Verg. ibid. *cheniscus* s. ib. 772 *cataclista* (sc. vestis) Tert. Pall. 3*). Ap. 390 *epistolium* Catull. X. 713 *ephippium* Cic. Caes. XI. 789 *grammateus* s. Flor. I. 37 *griphus* Gell. I. 2. 4. M. IX. 615. 634 *helcium* A. ib. 698 *mandragorus* Cels. Col. Ap. 517 *mysta* Ov. M. VIII. 578 *machaera* Plaut. Suet. VI. 417 *naulum* Iuv. III. 177 *orchestra*. VIII. 539. II. 150 *oenophorum* Hor. Pers. Ap. 416 *orgia* Catull. Sen. M. I. 53. Ap. 505 *palestrita* Cic. M. II. 159 *propheta* Tert. X. 734. *pyrrhica* Plin. Suet. X. 717 *pyga* Hor. Flor. II. 43 *petra* Enn. Plin. M. III. 177. Flor. IV. 83 *proscenium* Liv. M. II. 112 *patagium* Naev. Tert. XI. 789. 811. 817. *pastophori* A. (sacerdotum collegium est). XI. 755 *pausa* Plaut. Lucil. Gell. M. I. 39 *rhonchus* Mart. Flor. I. 29 *soloecismus* Cic. Ap. 533. 534 *sceletus* A. ib. 416 *syrma* Iuv. Sen. M. I. 21. IX. 671 *spatha* Tac. Veget. IV. 282 *schema* Plaut. Vitr. Cic. XI. 795 *spondeum* s. II. 116 *sitarchia* Hieron. ib. I. 38. X. 755 *siparium* Sen. VII. 468 *sycophanta* Plaut. Gell. XI. 778 *symphonia* Cic. ib. 788 *strophium* Cic. ib. 804 *stola* Cic. Flor. I. 30 *tornus* Verg. Plin. ib. I. 25 *toreuma* Cic. XI. 790 *thallus* Verg. X. 737 *tiara* Ov. Verg. VII. 458 *zona* Catull. Ov. — Flor. III. 64 *comoedicus* Plaut. M. I. 38 *tragicus*. *scenicus*. Cic. M. I. 9. X. 709 *exoticus* Plaut. Gell. X. 737 *ephebicus* s. (e. chlamys.) IV. 256 *heptapylus* (*h. Thebas accessimus*, ut Hygin. fab. 275.) Ap. 532 *mechanicus* Suet. Gell. Ap. 416 *thymelicus* Vitr. Dig. VI. 389. IV. 313 *zygius* Plin. (z. tibia). IX. 624 *zelotypus* Iuv. Quint. M. II. 113 *scholasticus* Plin. Quint., denique haec M. I. 7. *Spartiacus* s. I. 3. *Niloticus* Sen. Mart. — Atque haec, quae satis accurate conquisivimus, si cum librorum tanto ambitu comparamus, videntur sane modesta, praesertim quum maxima ex parte sint rerum Graecarum Graecae appellationes. Praetermisimus autem nonnulla ex iis, quae ita in latinitatem abierunt, ut peregri-

*) Haec, quae extremo loco commemoravimus, ut alia compluria, eo libro leguntur, ubi pompam caerimoniasque in deae Isidis festis diebus sollemnes describit.

nitatis omnem speciem amitterent: in quibus est etiam *scena*, quod Apuleius videtur adamasse notioneque si non nova certe inusitatiore frequentavit M. IV. 281 *Scenam denique, quam sponte sumpserat, cum animo retinens* (de latrone ursi pellem personamque gerente). ib. 293 *Specta denique scenam meae calamitatis.* VIII. 538 *Placuit Thrasyllo scena feralium nuptiarum.* His locis ubique notionem habet primam externae speciei sive habitus: ex qua deinde facile decessit in alteram, qua pro apparatu sive machinatione vel fraudibus usurpatur, quibus quis utatur M. VIII. 530 *scenam pessimi Thrasylli perspiciens.* ib. 532 *omnemque scenam sceleris illuminat.* IX. 622 *scenas fraudulentas in exitium miserrimi mariti construebat.*

Postquam nomina quam plenissime absolvimus, proximum est, ut **verba** verborumque varium pertractemus usum. Sequemur autem, qui sponte se praebet, ordinem declinationum, etsi non ubivis eo stricte atque accurate continebimur, idque ita, ut verba insolita forma Apulei dictionis propria enumeremus in singulisque, ut quaeque memoratu dignissima sint, singillatim adnotemus, aut quorum notio a vulgata deflexerit aut quae perperam et contra optimorum scriptorum usum iuncta sint. Quod attinet ad formam, vario modo noviter conficta verba reperimus. Omnium minime offendit genus eorum, quae praepositionis compositione novata sunt, quam purior sermo aut omnino reiecit aut qua aliam habuit potiorem; quaedam alio verbi genere usurpata sunt, atque vulgo obtinent; deinde magna pars ex prisco sermone in primis comicorum veterum hausta est, quibus aurea linguae aetas facile caruit; postremo non pauca prorsus inaudita primumque ab Apuleio latinitate sunt condonata: quae quidem, ut initio quaestionis in universum monuimus, non contra ingenium neque leges linguae formata sunt. Verba neutra sive deponentia, quae aut propter novitatem formae tantum in notitiam veniunt aut in quibus aliquid proprium eorum animadvertendum est, i. e. quae vel forma agendi reperiuntur vel notione patiendi vices obtinente, ea seorsim suo quaeque loco tractabuntur. Atque ordinandi singula eam rationem expertus sum, ut separatim colligerem verba compositione novata, verba frequentativa et intensiva, denique verba simplicia i. e. non composita, sed totius formae novitate insignia. Verum huius partitionis nec facile exsequenda neque perspicua aut apta quidem ratio

fuit: nam et verba composita non tantum ob praepositionis compositionem sed propter totam formam memorabilia sunt *(discapedinare)* et simplicia nonnunquam compositorum speciem gerunt *(concinnare, incertare)* et ex iterativis non pauca nulla alia re, quam levissimae praepositionis adiunctione novata sunt *(progestare, proquiritare, perrogitare)*: praeterea etiam in usu eorum non tam profusus est, ut separatim ea colligere operae pretium sit. Quamobrem omnia verba deinceps, literarum ordinem secuti, enumerabimus quam ordinatissime ita, ut in quaque litera a compositis seiungamus simplicia anteponentes. Totum vero hoc de disponendi ratione in primis ad declinationis primae verba spectat, quae reliqua aliquanto multitudine exsuperant. Nam in primae declinationis speciem tam facili quam naturali fictione formatur totum genus eorum, quae ab appositis et substantivis derivantur significatione plerumque caussativa, quorum frequentia ac varietas augetur diversarum praepositionum adiectione. Haec Apuleius plurima novavit (ut M. I.38 *Manes sublimare* (Enn. Vitr.) *deos infimare* s.) unius concinnitatis studio ductus ac facili flexilique derivatione perlectus: contra tertiae declinationis verba, exceptis paucis inchoativis, omnia, secundae et quartae pleraque compositione tantum novata sunt.

Quibus praemissis iam aggrediamur **ad primam declinationem.** Atque in huius potissimum verbis persaepe animadvertere licet Apulei liberiorem usurpationem, quam quum infra in singulis fusius exsequi atque explicare necesse sit, nunc iam in universum paucis significare iuvabit. Etenim verba, quibus vulgo indita aut naturaliter innata est patiendi notio, pro agentibus posuit et versa vice ea, quae accusativum desiderant, absolute et in patiendi speciem usurpavit. Neque etiam pauca sunt, quae locis diversis vice ambarum figurarum variavit. De hac autem activae et passivae notionis commutatione gravissimi momenti est, quod Gellius N. A. XIII. 12. 1. nos edocet: *Id quoque habitum est in oratione facienda elegantiae genus, ut pro verbis habentibus patiendi figuram agentia ponerent ac deinde haec vice inter se mutua verterent:* ibidem nonnulla exempla proponit et multo pluria se reperisse „in veterum scriptis“ tradit. Inde igitur hoc mihi videor iure colligere posse, illum verborum mutuum usum non neglegentiae esse tribuendum, sed potius ab eo affectatum esse ut oblectamentum et condimentum quasi orationis. Sed iam singula perlustremus.

M. IV. 287 *Araneare* (i. e. araneorum telis obtextum esse) s. IV. 299 *anxiare* Vulgat. Flor. II. 44 *articulare* (verba) Lucr. IV. 551. Solin. Arnob. Ap. 387 *autumare*: in optimo loquendi usu desitum et rarum verbum secundum Quint. VIII. 3. 26. DSr. 183 *aequiparare* neutro sensu usurpatum est (ut apud Gell. XIV. 1. extr. Pacuv.) cum dativo: *aequiparavit potestatibus*. M. III. 195. VIII. 578. XI. 770 *adambulare* (alicui) Plaut. M. II. 91 *adtolerare* s. IX. 613 *adblaterare* s. ib. I. 62 *appronare* s. X. 745 *adnutare* Plaut. Fronto. Ap. 464 *adiutare* Plaut. Lucr. Petron. Gell. Asc. 287. 302. 309 *adunare* Iustin. Pallad. DSr. 132 *advenerare* s. (-ri Varro. Sil.) M. IV. 291. 297 *adsuspirare* (fletibus) s. X. 684 *adlacrimare*, praeter hunc locum semel ap. Verg. Aen. X. 628. Ap. 573 *accurare* Plaut. Lamprid. semel ap. Cic. invent. I. 34. 58. Nativam priscamque significationem non retinuit sed quaesite revocavit M. III. 119. VIII. 520: *adseverare* (frontem i. e. severum facere), quod altero exemplo caret et *adorare* pro alloqui praecipueque in iudicio agere M. II. 113. III. 177 *sic populum adorat*. X. 699 *sic sene adorante:* quae verbi notio, praeter Tab. XII. ap. Fest. 162. 19., a nullo scriptore observata, sed tantum a grammaticis nobis tradita est cf. Serv. ad Aen. X. 677. — Flor. I. 21 *bubulcitare* Varro. DSr. 105. M. IX. 623 *caperare* (supercilium) Varro. L. L. VIII. 107. Flor. I. 5 *candicare* Plin. Mund. 322 *claricare* s. Flor. I. 15. II. 55. M. IV. 253. *cantillare* A. M. III. 220 *crussare* Amm. M. I. 63 *cernuare* Varro. Fronto. Prud. DSr. 111. *crocare* s. (Plaut. crocire: imitatur corvi clangorem.) Flor. I. 33. Ap. 579 *circulare* (orbiculum, digitos) Cael. Aur. (circulari Cic. Brut. 54. 200. Caes. B. C. I. 64 paullo deflexa notione = in circulo sermocinari.) M. VII. 471 *curitare* s. DSr. 163 *captitare* Gell. IX. 6. *Concinnare* Plinio et Senecae iam usitatum verbum Plautino more fere pro facere, efficere usurpatur cf. M. VI. 428. VII. 486. III. 197. VIII. 539. — M. XI. 802 *circumrorare* s. ib. 804 *circumnotare* s. ib. IX. 615 *circumrotare* (Caes. frgm.) VII. 455 *consarcinare* Gell. Amm. ib. 502 *confoedare* s. Ap. 508 *convariare* Cael. Aur. M. I. 19 etc. *contruncare* Plaut. Lamprid. II. 146 *commasculare* (animum) Macrob. IV. 241 *compugnare* Gell. Veget. VII. 482. IX. 596 *compilare* A. VIII. 533 *cohumidare* s. (genas). ib. 584 *commulcare* s. IX. 607. X. 743 *coaptare* Eccl. XI. 758 *confluctuare* s. IX. 675 *collimare* s. VII. 466 *comminare* (pecus) s. DSr. 135 *colluminare* Prud. Asc. 304 *componderare* s. Flor. II. 44 *convibrare* Amm. (sed hic sensu activo usurpavit, Apuleius neutro); denique M. VII. 477. X. 720 *commorsitare* A. VII. 488

compulsare Tert. Ap. 590 *concipilare* Plaut. Naev. *Conclamare* notione non irrationali pro: clamore convocare, quod apud poetas occurrit, sed rarissimum Ov. met. XIII. 37. Verg. Aen. VII. 604, saepius dixit cf. M. III. 227: conclamatis latronibus rumore. IV. 241: statim conclamant canes (ibidem paullo infra: canes in me convocatos). M. I. 61. VI. 394. VIII. 526. IX. 652 X. 739. XI. 766 *demeare* MCap. ib. II. 91 *decitare* s. V. 377 *deflammare* (taedam). s. DPl. II. 239 *deamare* Plaut. Afran. Ap. 554 *defenerare* Ambros. M. III. 223 *demussare* Amm. II. 144. III. 221 *demorsitare* A. M. I. 47 *distentare* s. Flor. I. 11 *discapedinare* s. Ap. 555. *dilapidare* Ter. Col. Notione immutatum est ceterum quoque infrequens verbum devotandi M. IX. 634: numina *devotare* quasi invocare: propriam vovendi vim servavit Cic. parad. I. 2. 12. Deinde *decantare* aliquid (Cic.) brevissime dixit pro: magicis cantaminibus alligare cf. M. III. 206. 214 *At ego nullo decantatus carmine* etc.: facile autem haec notio deducitur e propria. Audacius denique iunxit *dearmare* loco aliis quoque licentiis insigni, quas una statim comprehendamus M. V. 377: *pharetram explicet et sagittas dearmet, arcum enodet, taedam deflammet.* Quorum verborum omnium inusitatior aut prorsus inaudita est ratio. Nam „pharetram explicare" est eam solvere involutis sagittis complicitam; „arcum enodare" non simpliciter est nodis exsolvere sed nervum nodis explicandis dissolvere. Dearmare quum proprie sit arma alicui detrahere, aliquem exspoliare, ut ap. Liv. IV. 10. hic per speciem quandam figurae etymologicae (cf. Ap. 526 desudare sudorem) non accuratam quidem, sed leviorem est dictum. *Demutare* Cato. Plaut. neutro sensu et absolute positum est Ap. 426: quamquam teterrimum os tuum minimum a Thyesta tragico demutet. cf. Plaut. Mil. IV. 3. 37. Flor. I. 5. M. XI. 778 *effigiare* Prud. Sidon. M. I. 60. VI. 439. IX. 661. X. 707 *esitare* Cato. Plaut. Gell. IV. 272 *examurcare* s. XI. 812 *exaptare* s. M. I. 55 *exantlare*: proprie Plauto soli usitatum est: quod verbum quamvis translata significatione Cicero ipse non respuerit, Quintilianus tamen I. 60. 40. inter ea refert, quae obliteratis repetita temporibus non bene crebra usurpantur, quod nihil sit ea affectatione odiosius. M. I. 13. 37. IV. 251 *effricare* Sen. ep. 95. Tert. VII. 491 *emasculare* Serv. ad. Verg. Aen. VI. 661. M. X. 717 *emundare* Col. ibid. *excoriare* s. Ap. 495 *exdorsare* Plaut. ib. 592 *extraneare* s. DPl. II. 248 *effaecare* s. (usitatius est defaecare.) M. VIII. 543 *exoculare*: proprie usurpavit (Plaut.) et translate VII.

449: exoculata fortuna. M. III. 187 *evitare* Enn. Plaut. prorsus cascae compositionis verbum=e vita tollere. Denique *enervare*, quamvis etiam Ciceroni frequentius sit, eo memorandum est, quod nativa significatione rarissimum invenitur, ut M. VIII. 589 enervare poplites cf. Apic. 4. 2. Claudian in Eutrop. I. 315. Similiter *erogare* solito, sed paullo acriore rogandi sensu usurpavit M. V. 345 erogare precibus: quod verbum optimis scriptoribus tantum de publicis sumptibus est sollemne. DPl. II. 235 *fugitare* Plaut. Lucr. Amm. Ap. 524 Flor. I. 5 *fumigare* Col. Varro. (forma passiva apparet: cespes libamine fumigatus: contra neutro sensu ap. Gell. XIX. 1. 3.) M. IX. 618 *follicare* (i. e. in follis speciem inflari.) Veget. Tert. DSr. 134 *fissiculare* MCap. *Gravidare*, quod qui electius scripserunt, pro activo verbo habuerunt, semel dixit quasi gravidum fieri. Mund. 307: ea crassitudo aquarum fetu gravidat; *germinare* M. XI. 808 eodem sensu iam Plinio frequentius est. M. III. 220 *horripilare* s. Plurimum sibi licentiae sumpsit in verbo *herbandi*, tum quod in agentis speciem confictum patientis vicibus fungitur, tum quod omnino novum est. Novum autem si dicimus, ut iterum moneamus, eo non ab Apuleio primum in linguam latinam receptum esse contenderimus: sed nova verba ea etiam volumus esse, quae nimis obsoleta sunt et iam desita exculcataque: quibus utrisque uti nos quidem par fere delictum arbitramur, quibus tamen illis extremis ab omnique parte degeneratis linguae temporibus putatum est orationis elegantia et dulcedo quaedam contineri. Herbare igitur M. VII. 474 *herbantibus pratis* neutro sensu dixit, ubi exspectaveris: herbere. Nam terminatio-are propria ac principali ratione adhibita est ad indicandam agendi notionem rariusque inveneris in huius generis verbis intransitivam vim. Ad quam designandam alios exitus lingua potiores habuit: velut, ut exemplis ex Apulei libris decerptis utamur, quae ab hac quaestione non aliena sunt, formae diversitate secernuntur *densare* et *densere* Mund. 307, *inalbare* et *inalbere* M. IX. 640. VII. 445. Quum vero duae terminationes ad exprimendas notionis vices contrarias paucis tantum numero verbis suppeditarent, eam difficultatem ita sublevavit Apuleius, ut pro usu atque arbitrio passim agentia verba insolentius poneret notione neutra. M. I. 38 DSr. 127 *infimare* A. Mund. 288 DPl. II. 227 *intimare* Tert. Solin. M. I. 59. III. 179 *impiare* Plaut. Sen. Hipp. 11. 85. Prud. M. II. 134 *infectare* †. (alii: infestare.) M. V. 345. XI. 788 *incertare* Plaut. ib. XI. 791

intuitare †. II. 105 *illubricare* (membra) s. III. 172 *inequitare* Flor. Arnob. VI. 439 *inoculare* (translate: bullis aureis i.) Pallad. Tert. XI. 795 *incapistrare* (erroribus) s. Flor. I. 9. Ap. 460. *inuncare* Lucil. Col. Sid. Asc. 310 *innavigare* (mare) Mela II. 1. 1. M. IX. 640 X. 716 *inalbare* (tenebras) A. XI. 783 *inovare* s. Asc. 299 *inaltare* Paul. Nol. Ap. 491 *interseminare* s. (interspergere atque i.) Propter notionis varietatem ex huiusmodi compositis notanda sunt *inescare* (Petron. Vell.) pro: satiare cf. M. X. 706. IX. 640. VII. 472. et *irrogare* ecclesiasticae latinitatis propria significatione positum M. IX. 621: iubebat plagas mihi irrogari. Notiones, in quibus orta sunt, retinuerunt *insinuare* M. IX. 600 insinuatis manibus (Tert.), quod sensu inproprio optimo cuique scriptori usitatum est, et *incantare,* quod tum quidem, ut vulgo (Hor.), de magicis carminibus posuit (Ap. 503), tum vero etiam cum audaci brevitate non veritus est dicere M. VIII. 561: passerem incantantem sepiculae. — *Larvare* (Firmic. adv. Math. III. 14) participiorum tantum forma apparet Ap. 555 larvans M. IX. 652 larvatus Plaut. M. IV. 336 *levigare* (omni sarcina i. e. levare) Cassiod. Quod Hildebrandius in textum recepit M. VII. 481 *limo coenoso ripae supercilio lubricante* mihi non probatur: nunquam enim lubricare neutrum est (cf. M. II. 105 illubricans membra): quo ablativorum accedit molestus concursus: melius igitur supercilium sive supercilia emendatur. Verbum rarum (Cael. Aur. Paul. Nol.) est *luminare* cf. M. XI. 807: l. solem. Asc. 317: qui me videndae divinitatis, luminasti lumine; aliter est M. IX. 617 male luminati (i. e. oculis vitiosi, capti.) Satis subtiliter denique confinxit *liciniare* M. X. 739 s.: ventus nunc luxurians aspirabat, ut adhaerens pressule membrorum voluptatem graphice liciniaret: quod explanandum est: in modum liciorum obtegere vel potius non obtegere ita, ut per fila tenuissima vestis bombycinac (qualis hic memoratur) manifesta pelluceret. M. IV. 250 *lusitare* Plaut. Gell. Ap. 544 *mussitare* Plaut. Ter. Liv. I. 50. DPl. II. 237 *meliorare* Col. Dig. ib. II. 242 *medullare* Augustin. M. II. 113. VIII. 488 *morsicare* A. DSr. 136 *mollificare* Macr. de herb. IV. 14. M. VIII. 558 *madidare* Arnob. V. 354 *maturare* (= maturescere) Pallad. Mund. 341 *opimare* Auson. Col. Praepositionis ob compositionem adamasse videtur: nam compluria ea novata sunt. M. VI. 418 Ap. 559 *offrenare* Plaut. M. VII. 494. IX. 616. 647 *obverberare* A. VIII. 530. IX. 640 *obnubilare* Gell. Amm. X. I. 768 *obsibilare* s. XI. 769 *obaurare* s.

Ap. 525 *obructare* s. ib. 568 *obcantare* Paul. sent. V. 23. 9. ib. 378 *oblaqueare* Col. II. 14. 2. Tert. M. II. 151. VIII. 553. IX. 592 *obarmare* Hor. carm. IV. 4. 20. Auson. X. 697 *offirmare* (M. VII. 505 proprie: stabuli fores o.) Pacuv. Plaut. Ter. M. III. 212 *plumare* (Plinio et Lucano participium passivum tantum in usu est). VI. 437 *pectinare* (setas: propria notione praeterea non legitur: apud Plinium enim XVIII. 21. 50 de agro dictum est pro occare.) Flor. I. 29 DSr. 105 *pensiculare* Gell. Flor. I. 12. *patrissare* Plaud. Ter. ib. II. 60 *pythagorissare* s. (cf. ib. IV. 92 *atticissare* Plaut. Ap. 595 *graecissare* Plaut.) M. X. 709 *peculiare* Plaut. Dig. Cic. fam. X. 32. Verbum prae ceteris Apuleianum est *proximare* quod quum omnino rarissimum sit (Solin.) apud eum vario modo frequentatur: nam et absolute ponitur M. II. 169. VIII. 560: senex per viam proximat „II. 129. V. 332 luce proximante“ et cum dativo M. VI. 387: sacratis foribus proximat.“ III. 224: me praesepio videre proximantem „quin etiam cum accusativo coniungitur M. XI. 785 ripam maris VI. 395: fores eius dominae proximanti“ idque non irrationaliter. Etenim si simplex appositum una cum verbo aliquo permissum erat coniungi cum accusativo, cur non licuit verbum ab illo adiectivo flexum, significationis particeps eiusdem eundem habere casum? *Participare* pro participem reddere aliquem aliqua re, etsi non ita infrequens est (Lucr. Plaut.) hic tamen non omittamus cf. M. I. 23 IX. 656: meum dominum comis hospes opipari prandio participat. *Pullulare* M. IV. 301: non maria sed terras Venerem aliam .. pullulasse“ vox poetis Augusti aetate florentibus non inusitata quidem est, sed tantum neutro sensu (ut Mund. 347): hac vero, cuius exemplum citavimus, agendi significatione pro gignere vel parere, non reperitur nisi apud postremi aevi scriptores Lactantium, Fulgentium, alios. Non sine exemplo *purpurare* eodem modo in agentis speciem posuit M. VI. 427: Horae rosis et ceteris floribus purpurabant omnia „vulgatum magis usum (Col. Prud.) pro: purpura tinctum esse“ non ignorans cf. M. X. 719: labiasque modicas ambrosio rore purpurantes. Quem tamen aspernatus est, huius verbi auctorem sectatus Furium Antiatem, poetam veterem, quem in vocibus confingendis iisque neque a poetica facultate abhorentibus neque profatu insuavibus plurimum fuisse accipimus ex Gelli N. A. XVIII. 11: qui et ipse purpurare agendi vi usurpavit in versu ibidem citato: Spiritus Eurorum viridis

cum purpurat undas. Ex compositis notanda sunt haec: VIII. 545 *pereffiare* s. VII. 481. *peraequare* Col. Solin. Ex frgm. ap. Prisc. IV. p. 634 *perrogitare* Pacuv. Rarius est *perseverare* remota notione obstinatae in aliqua re versationis sive actionis fere pro permanere M. XI. 815: exuvias deae . . in eodem fano depositas perseverare. DPl. II. 247: nec amicitiarum fides perseverat: quocum similis significationis deminutio apud Tertullianum (cf. Apol. cp. 9) et alios etiam, Firmicum, Symmachum potest comparari. — M. VI. 429. X. 696. XI. 801 *praenotare* Tert. Hieron. XI. 678. XI. 752. 774 *praemicare* Min. Fel. M. I. 31. VI. 410 *praeministrare* (alicui et ib. II. 116 absolute positum). Gell. Tert. V. 370 *praeconcinnare* s. IX. 665 Ap. 498 *praesagare* Cassiod. (frequentius est praesagire). *Praestinare*, Plautina vox pro emere saepissime legitur M. I. 27. 74. VIII. 568. 571. VII. 463. IX. 603. 607. 613. Ap. 600; *praedestinare* ut apud Plautum simplex destinare (Most. III. 1. 109. IV. 3. 35 etc.) addita notione ante parandi, legitur M. V. 273: cavea modico praedestinata pretio. Eccles. (Liv. 45. 40). *Praedicare* promiscue cum praedicere, omissa terminationis significantiore vi, usurpatur M. III. 173. IV. 299. (ut etiam apud Tertullianum saepius cf. adv. Iud. cp. 3.) — Ap. 566 *proquiritare* Sidon. M. VI. 439 *progestare* s. X. 717 frgm. *porrixare* s. ib. III. 191. 213. X. 734 *promicare* Nov. Amm. IX. 645 *prominare* (iumenta ad fluvium) s. IX. 665 *proterminare* (fines) Sidon. Ap. 422 *proliquare* s. ib. 508 *prospirare* s. denique *protelare* M. VIII. 557 (cladem de vestris manibus) Ter. Sisenn. Afris scriptoribus (Tert. Fronto.) familiarissima vox. — M. IV. 287 *rumigare* s. Flor. III. 39 *robiginare* s. sensu inchoativo pro robigine corripi: gladius usu spendlescit, situ robiginat. *Rorare* et agendi notione (M. II. 108 balsama rorans) et neutra (M. V. 363: roraverint sanguinis rosei guttae) scriptoribus qui primo p. Ch. n. saeculo floruerunt in primisque poetis iam usitatum est. M. I. 40 VIII. 550 *repigrare* MCap. II. 130. VIII. 580. 588. IX. 618 *renudare* Arnob. MCap. VI. 419 *recalcare* Col. Prud. VIII. 530 *reiterare* s. DPl. II. 239 *redamare* quod Cicero semel sibi permisit, sed adiecit d. Amic. 14: ut ita dicam redamare. M. V. 342 *redulcerare* (redulcerato dolore translate dixit) artis medicae vox Col. Cael. Aur.—M. I. 38. III. 213. Flor. I. 8. *sublimare* Enn. Cato. Macrob. M. II. 128. III. 199 *sorbillare* Ter. M. V. 337. VII. 461 *splendicare* A: cui oppositum est agens *splendidare* (dentes) Ap. 602. s. similiter diversum ut candicare et

candidare. Asc. 325 *salvare* Veget. Lact. M. V. 353 *sanguinare* Quint. decl. 10. 8. Tert. *Stabulare* neutro sensu M. XI. 785. VI. 393: circa cubiculum dominae stabulant (de Veneris columbis!) iam Vergilio frequentius est cf. Georg III. 224. Aen. VI. 286. — Ap. 574 *subagitare* Plaut. Fronto. M. IV. 309 *subnatare* Sil. XIV. 483. Ap. 569 *subnervare* (calumnias): proprie Tert. adv. Iud. 10. s. taurum. — M. II. 118. IX. 615 *turbulentare* A. VI. 430 *tubercinare* i. e. raptim vorare Gloss. M. II. 127 *tuberare* (= tumescere) s. *Tertiare* (Col.) rei rusticae propria vox inusitatiore ratione sed eadem prorsus naturali ac vetusta posita est M. V. 354: tertiata verba semihianti voce substrepens: quo verbo Catonem prorsus eodem sensu usum fuisse legimus apud Serv. ad Aen. III. 134: verba tertiata et quartata quemquam dicere prae metu. Ap. 586 *transvorare* Arnob. VIII. 549 *tenebrare* Amm. Lact. („iam vespera semitam tenebrante") Facile explicanda est haec vocis neutra usurpatio M. V. 370: Nec sequentis vindictae poena *tardavit*, quamquam est aliquanto insolentior exemplis, quae aliunde proferri solent ut Cic. ad. Att. 6. 7. 2. Plin. h. n. XI. 11. 11. — M. VII. 489 *victimare* Vulgat. Ap. 549 *verbigerare* s. Asc. 314 *vivificare* Prud. Tert. DSr. 137 *versificare* Quint. IX. 4. 143. Lucil. Amm. M. XI. 753 Mund. 310 etc. *vegetare* Gell. Tert. *Vilicare*, quod Cicero et ut quisque eius normam scribendi secutus est, nunquam usurpavit nisi in patientis modum pro: vilicum esse „cum quarto casu coniunxit Apuleius ut esset quasi" procurare administrare „M. VII. 564: Servus . . qui possessionem maximam illam vilicabat." Contraria significationis mutatione *variegare*, verbum ei fere soli (praeter Ausonium) frequentissimum, quum reliquis locis Flor. II. 33. 54. DSr. 173 pro: varium facere dixisset: uno tamen loco Flor. I. 15 ita posuit ut „varium esse" intelligendum sit: quem locum si paullo accuratius intuemur, statim eius discrepantiae caussam percipimus manifestam, admodum, ut uno verbo utamur, Apuleianam i. e. prorsus cum indole rationeque eius congruentem. Ibi enim: quid quod et lyra eius auro fulgurat, ebore candicat, gemmis variegat etc. Nemo est, quin cernat, eximia arte illa fulgurat-candicat-variegat-cantillat etc. ab eo electa esse propter concinnam numeroseque modulatam sonitus similitudinem. Nemo etiam, qui strictim tantum scripta eius inspexerit, tam ignarus esse potest ingeni eius dictionisque, quin unquam huiusmodi licentiam, non adeo miram neque unicam quidem, minutorum arteficiorum studio illi immoderato dubitet condonare.

Atque his ferme mihi videor absolvisse gravissima quaeque, quae de verbis primae declinationis formae notionisque novitate insignibus erant afferenda. Integra autem adhuc reliqui **deponentia** et ea, quae propter terminationis activae et passivae insolentem mutationem commemoratione digna sunt. Quamvis ea pauca tantum sint, separatim colligere et una cum ceterarum declinationum deponentibus maxime e re visum est: quae propterea primae declinationi aptissime subnectuntur, quia numero admodum pauca sunt multoque iis, quae huic addicta sunt, inferiora. Ac primum de eorum genere videamus, quae quum vulgo non in usu sint nisi forma patiendi, agendi etiam reperiuntur figura. Quam plerumque priscis scriptoribus usitatam fuisse constat, sed excultae florentisque linguae consuetudine desitam atque exculcatam esse: quod quum de compluribus certe sciamus (cf. Prisc. VIII. 5. 6. sq. VIII. 4. 15.) de reliquis coniectare licet, quorum non accepimus in tanta exemplorum vetustae inprimis linguae penuria formas activas: M. V. 347 *adulare* sensu translato (vultu laeto sic adulant) ab optima dicendi ratione alienum est primumque legitur apud Val. Max. IV. 3. 4, deinde apud postremae latinitatis scriptores Auson. Mamert., de canum blandis gestibus apud Lucr. V. 1068 et apud Cic. Tusc. II. 10. 24 in versu ex Aeschylo translato: passivae formae notione praeditae patiendi Ciceroni frequentiores sunt. — M. I. 72 *aemulare* s. Flor. I. 20 *bubulcitare* Varro. (-ari Plaut. Most. I. 2. 50.) Ap. 573 *blandire* (hoc loco non satis firmatum est) M. III. 185 etc. *cachinnare* Lucr. DSr. 119 *contare* Enn. Plaut. M. VII. 466 *comminare* s. (passive ib. X. 690 comminata nece.) M. IV. 260 *comminiscere* s.: sine dubio usitatius erat, quum formae deponentialis notio passiva crebrior occurat. Asc. 287 *imaginare* Gell. Lact. M. V. 348 *laetare* Liv. Andron. M. III. 230. VIII. 589. X. 710 *minare* (i. e. agere sc. pecudes) Auson.: translato sensu formaque patientis legitur Mund. 350: exhalationes ad superiora minantur. M. XI. 754 *venerare* Plaut. (et passive M. IV. 263. Asc. 309: amari, laudari, venerari.) DSr. 131 *advenerare* s. (-ri Varro). Compluria promiscua utriusque generis verbi permutatione variavit velut M. II. 164. VI. 431 *altercare* Ter. dixit et ib. II. 90 *altercari* Caes. Flor. III. 60 *auspicare* Plaut. Gell. XI. 780 *auspicari* Cic. (auspicatus passive Cicero non raro usurpat.) M. VI. 425 *alumnare* MCap. M. VIII. 553 *alumnari* s. — M. VI. 423 *consaviare* s. II. 121 et saepius *consaviari* A. M. VII. 458 *grassare* s. VIII. 554 *grassari*,

Asc. 321 *nutricare* Plaut. Varro. Ap. 433 *nutricari* Cic. N. D. II. 34. 86. — M. V. 358 *praestolare* Liv. Andron. IV. 257 *praestolari* Cic. — XI. 793 *percontare* Naev. et saepissime: *percontari.* M. VII. 472. Ap. 584 *remunerare* Fronto. M. IX. 655 etc. *remunerari.* A quibus separanda sunt ea verba deponentia, quae quidem passiva ratione nonnunquam praedita sunt, quorum tamen non reperitur forma activa. Ex huiusmodi participiis sunt paullo insolentiora: M. XI. 792 *affatus* Flor. I. 32 *conspicatus.* M. X. 731 *commentus.* ib. XI. 808 *deprecatus.* Ap. 512 *despici et detestari* (detestatus passive Cic.) M. II. 114. 127. IV. 262 *deosculatus* IV. 292. XI. 789 *exosculatus**) DSr. 158 *exhortatus* Hor. M. IX. 662 *inhortatus.* X. 704 *furatus.* Mund. 336 *machinatus* Vitr. M. VI. 403 *mutuatus* Plin. h. n. II. 9. 6. DPl. I. 211 *metitus* Lact. Arnob. (sic mensus ap. Cic. N. D. II. 27. 69: quia mensa spatia conficiunt, menses nominantur: quod tamen nulla alia de caussa electum est, quam ad consequendam consonam congruentemque originationem). Solita sunt haec: M. X. 690. DPl. I. 206. II. 242. DSr. 104 *meditatus* et M. V. 369. IX. 605. 620. X. 689. 729 *mentitus.* M. VII. 473 *nactus* Hygin. M. VIII. 557. X. 711 *permensus* Col. Ap. 411 *professus* Ov. Sen. (versus tanto pudicius compositi, quanto simplicius professi) M. XI. 766 *vadatus* Plaut. Lucil. V. 359 *velitatus.* — Alterum genus antecedente multo rarius est eorum, quorum, quum in limatae linguae usu agentium tantum species occurrant, insolenter forma arcessita est passiva: quae quidem ipsa quoque ex cascae obsoletaeque orationis consuetudine manavit. Nam de hoc usu conferre invat et Gellium N. A. XVIII. 12. 10 *Verbi patiendi pro agentibus in omnibus fermemodum veterum scriptis reperiuntur*, et Priscianum VIII. 5. p. 378 *Passivas . . pro activis et neutralibus vocibus antiquissimi proferebant, careor pro careo dicentes et copulor pro copulo et caleor pro caleo.* In Apulei M. IV. 235 iam hoc ipsum legitur, *caleri* (cum iam flagrantia solis omnia caleretur.) M. IX. 629 *auctorari* (pudicitiam suam) s. X. 705 *deierari.* Flor. III. 65 *murmurari* (tarditatem): hic interponamus etiam formas ut Ap. 584 *nequitur.* ib. 380 *quitus est* Plaut. Pacuv. Cato, et participium *fletus,* quod

*) M. III. 208: lepido sermone Fotidis et invicem cavillatus „verisimilius etiam aliis de caussis emendandum est: neque etiam in iis enunciatis, in quibus a Tertulliano ponitur Res. Carn. 21: per quae fere promulgatio maiorum cavillatur. ib. 36: de interpretatione corporis quaestio cavillatur" satis manifesta aut necessaria est vis patiendi.

(M.VII.499: fleta et lacrimosa) agendi notionem videtur induisse*). Diverse ab omnibus his de verbo *ruspandi* disputandum est, quod utrum huic an priori ordini rectius subiungatur, in dubitationem vocari potest. Ambiguum enim est, quae eius forma antiquior sit, quae usitatior. Ruspare semel Tertullianus posuit DPall. 2., ruspari Apuleius praetulit, antiquorum, ut videtur (Accius ap. Non. 166. 18) usum secutus. — Restant pauca deponentia, quae non propter terminationis a recta consuetudine immutatae sed propter totius formae novitatem commemoranda sunt: Mund. 340 *anilitari* s. M. X. 709. XI. 778 *adluctari* A. DSr. 135 *comminitari* s. M. X. 695 *caussificari* Plaut. Aul. IV. 10. 25. M. VII. 447. Ap. 533. DSr. 155 etc. *commentiri* A. DSr. 105 *compartiri* Inscr. M. I. 57. II. 154 etc. *deosculari* Plaut. V. Max. Gell. VIII. 586 *depraedari* Iustin. Dict. Cret. VII. 493. X. 683 *decontari* A. VIII. 554. IX. 662 *inhortari* A. Ap. 563 *interloqui* Ter. Gell. Flor. II. 60 *loquitari* Plaut. Ap. 516 *manticulari* Pacuv. (Lucr. II. 547 coniectura Lachmanni in textum receptum.) M. IX. 637 *obominari* †. M. VII. 477 *pugilari* (ungulis) Treb. Pol. ib. X. 732. Flor. II. 70 *protestari* Fronto. Quint. decl. 4. 21. M. III. 216 *vulpinari* Varro. (= astutum esse in vulpis modum); denique Apuleio familiarissimum verbum: *velitari* (Plaut. Gell.) quod quum proprie sit ad velitis instar pugnare varie atque audacter transfertur. cf. M. V. 342. 359. VII. 477. VIII. 575. IX. 592. 622. 649. 663 etc. Ap. 380: eminus calumniis velitatur." — Proprium ac principalem sensum, quem apud Plautum indeque apud postremi aevi scriptores retinuit, habet *arbitrari* M. VII. 447. IV. 265. III. 212. II. 162: cuncta curiosis oculis arbitrabar."

In ceteris declinationibus iam multo modestioribus finibus continebimur. Aliquanto enim pauciora verba propter formae aut significationis novitatem adnotanda sunt. Neque enim secundae aut quartae terminatio ipsa sui natura ad nova verborum figmenta tam habilis fuit, quam primae. Pleraque tantum compositione novata sunt. Iam **ex altera** afferamus haec: *attinere*, singulari sed prorsus naturali significatione dictum est M. III. 211: iam in alium diem nos attinuit sopor" quae quum

*) Apud Tertullianum eadem animadvertitur in variandis generibus verborum licentia: velut dixit commemorari Idol. 20, coniectari adv. Natt. II. 12, fiduciari Idol. 23, paeniteri De Paenit. 5, interpretare adv. Natt. I. 4, nundinare ib. II. 13, insidiare Uxor. II. 7., praevaricare Fug. Pers. 7., remediare adv. Marc. II. 22 etc.

apud Plautum reperiatur primum, inde abiit in eorum usum, qui imitationem veterum sectati sunt, Sallusti, Frontonis; videtur autem ex loquendi consuetudine vulgari orta: certe apud Ciceronem nullum eius vestigium invenitur. M. I. 20 VII. 455 *antepollere* A. VI. 442 *circumtorquere* s. VI. 397 *condecet*, Plauto recentioribusque frequens. IV. 310. 336 *complaceo* Plaut. Ter. Col. (cf. DPl. II. 251. Asc. 296. Ap. 421 complacitus.) **M.** V. 346 *conspondeo* Naev. Auson. VIII. 526 *confoveo* Cato. Afran. Cod. Theod. IX. 646 *commulceo* Arnob. Tiro. ap. Gell. VII. 3. 13. Ap. 514 *detinere* Ictorum propria significatione positum est pro: obnoxium efficere, accusare, qua Tertulliano usitatissimum est (cf. Uxor. II. 8. ad Natt. I. 4. I. 7. I. 16. etc.) Ap. 560 *extumere* Plaut. M. VIII. 536 *inurgere* Lucr. V. 1035. M. VII. 447 *inalbere* s. IV. 292 *insuperhabere*, ut Hildebrandius scribit; melius secernitur: insuper habere. IV. 282 *obmiscere* s. VIII. 557 *pratere* s. (pratentibus viretis.) V. 377. *praetondere* s. Flor. I. 14 *praemulcere* s. ibid. *promulcere* s. *Parere* M. I. 51. III. 236. V. 325 (nemo hominum pareret) pro apparere iam antecedentis quidem saeculi scriptoribus (Sen. Mart.) usitatum, sed non tam frequens est. M. VI. 365 *remonere* s. VII. 493. VII. 561 *suppatere* A. I. 45 *subterhabere*. s.

Priusquam **tertiae** quartaeque declinationis singula verba enumeremus, de nonnullis videamus insolitis significationis immutationibus. Patiendi speciem induit *pascere* Ap. 438, ubi arcessita est ad assequendam orationis concinnitatem: parcius pasco, levius vestio, minus obsono.“ *Vestire* neutro sensu praeterea legitur Tert. de Pall. 1. Ex simili caussa sunt haec orta **M.** XI. 808: Tuo nutu spirant flamina, nutriunt nubila, germinant semina, crescunt germina: ubi qui nutrire neutro sensu ferri posse negaverunt, aquas supplendum esse censuerunt. Sed ex singularum enunciationis partium stricta atque accurata congruentia et ex antecedentium etiam sententiarum audaci nexu concedenda est passiva significatio, quamvis altero exemplo careat. Neque minus memorabilia sunt haec M. VIII. 516: *latenter abscondimus* (sc. nos). III. 195: *qui laverim, qui terserim* (sc. me), quaeque iam per se insolentior est locutio Flor. III. 65: Quid igitur de repentino ab hoc splendidissimo conspectu vestro *distulerim* (sc. me) i. e. cur moratus remotusque sim a conspectu vestro. Denique non inaudita quidem sed admodum rara verbi corruendi activa vis notanda est, quae ex Apulei more dicendi manavit **M.** VIII. 530: *Charite . . corruit corpus*

et obnubilavit animam cf. Plaut. Rud. II. 6. 58. Lucr. V. 369. Deinde iam ex singulis verbis primum **inchoativa** proponamus, quorum et ipsorum plerumque compositione praepositionis alicuius ab optima consuetudine immutata est species: **M.** II. 114. VII. 467. IX. 598 *adlubescere* Plaut. MCap. ib. II. 114 *congermanescere* Claud. Quadrig. Ap. 508 *conliquesco* Varro. Col. Fronto. X. 733 *depudescere* Hieron. Ap. 570 *exacerbescere* s. M. VIII. 536. 567. Flor. II. 44. DPl. I. 208 *persentisco* Ter. Lucr. Solin. M. X. 720 *perprurisco* Plaut. ib. VIII. 564 *perquiesco* (totam noctem.) s. Tum. M. VI. 397 *adscalpere* (aurem) s. VI. 417 *adflectere* Avien. Arat. **M.** III. 175. IX. 614 *astituo* Plaut. A. Her III. 20. 33. *Applodo* quod Ciceroni non ignotum quamquam infrequens est (pro Sest. 34. 115), non de acclamationibus, sed de allisione quacunque insolentius usurpavit **M.** VI. 434: eam . . protinus adplodo terrae. IX. 670 elatum terrae graviter adplodit. Praepositionis con-singularis est vis, non quidem ab ipsius natura sed ab usu recedens in verbo condicendi Flor. IV. 92 . . qui mihi Athenis *condidicere*. Vulgo enim praepositio adauget tantum simplicis verbi huius notionem. — **M.** II. 168 *detundo* Lucil. DSr. 141 *devergo* s. **M.** VI. 411 *derigere* non temere scripsisse videtur (Lucr. VI. 824): usque ad inferos et Orci ferales penates te derige." *Deruere*, quod Cic. Att. 16. 11. 2. Sen. Quaest. nat. 3. 27. agendi vi legitur, neutra posuit **M.** II. 166. **M.** II. 125. X. 749 *disternere* A. Ap. 499. M. II. 123 *expergere* Lucr. III. 229. Gell. VI. 10. 1. **M.** IX. 602 *exobruere* s. III. 183 *effligere* (lapide) pro necare Plauti est proprium. Sen. d. Ira 1. 15. M. IV. 265 *inigere* Varro. Fronto. VIII. 577 *intollere* (clamores) s. VIII. 554 *inscindere* (i. e. in-scindere) s. IV. 263 *interstinguere* (anum. Lucr. V. 761 int. ignes.) M. V. 350. Ap. 491 *interspergere* A. Non irrationaliter sed a vulgari usu diverse positum est M. XI. 506: sermonem singultu *interficiens* i. e. interrumpens. M. I. 65. II. 154 *introrumpo* Plaut. Ter. Gell. M. II. 151. X. 625 *introrepo* A. V. 325. X. 738 *introcedo* A. III. 194 *introcurro* Nov. Praepositionem ob in compositionibus rariorem Apuleium dilexisse iam supra monuimus. Sic dixit Flor. III. 77 *oggerere* Plaut. Ap. 593 *obsternere* s. **M. II.** 109. VIII. 579 *obungere* A. VIII. 502 *obtrudere* (titionem . . inguinibus. (Plaut. Ter. Amm., sensu translato etiam Sen. ep. 68.) Deinde nonnulla, quae ab optimis scriptoribus non aliena sunt, inpense frequentavit, ut *occipere* pro coepisse (Livio tantum usitatum est in locutione: occipere magistratum) cf. **M. II.** 175

V. 349. VII. 482. IX. 620; *obdere* M. V. 342. X. 699 amiculis obditus III. 206 capillos in mutuos nexus obditos, utrumque deflexa paullulum significatione dictum; *oblidere* M. V. 263, *offigere* IV. 259 etc. — M. III. 212. VIII. 566 *perlinere* Col. Amm. VI. 401 *praeterluere* s. Ap. 396 *praelavere* s. (simplex lavere Plaut. Verg. Georg. III. 221). *Praesumere* pro coniectari, opinari, quod recentioribus demum scriptoribus (Iustin. Pallad. Tert. Apol. 16. 21 etc.) familiare est, ab Apuleio crebro varieque usurpatur M. III. 200: Sed melius de te doctrinaque tua praesumo. VII. 499: utcunque se prasumit innocentem." V. 375: Sed utique praesumis, te solum generosum esse. — DSr. 109 VI. 407 *propando* A. XI. 805 *prosisto* s. VI. 406 *proserpo* Plaut. Arnob. DSr. 108. Mund. 316 *prosero* Lucan. IV. 411. Tert. M. V. 309 XI. 774 *progero* (speculum, divinas effigies) vicibus praegerendi fungitur: sunt enim pro et prae in compositionibus eiusdem nonnunquam significationis. Sed in hoc verbo usus loquendi ita est stabilitus, ut progerere, exceptis his locis, semper sit quasi effere Plin. Col. I. 6. 22. XII. 50. 80. — M. I. 32. VI. 436 *replaudo* A. ib. IV. 278. IX. 631 *repando* (fores) A. III. 194 *refingo* („laetiorem me refingens") Pacuv. Verg. Georg. IV. 292 *Recello* Lucretio Livioque neutro sensu usitatum, sine exemplo cum accusativo coniunctum est M. VII. 493. X. 720: poplites, nates recellebam. M. II. 142 *suberigo* Sil. XIV. 155. M. VIII. 501 *subsero* Amm. V. 354 *substrepo* s. *Subsistere* notione translata pro: succurrere, opitulari, soli Apuleio usitatum idque frequentius est M. II. 157. III. 218. VI. 385. XI. 705: iam nunc extremis aerumnis subsistite" et absolute M. V. 355: iam nunc subsistite." M. VIII. 539. XI. 804 *supersisto* Amm. X. 769 *supercedo* †. IX. 610 supercurro Plin. ep. 7. 8. 13. M. XI. 781 *superstringo* s. ib. I. 56. II. 154 *superruo* (corpori) Amm.

Venimus nunc ad **quartae declinationis verba**, ipsa quoque prima et numero et gravitate inferiora: M. X. 703 *abligurrire* (dulcia, et figurate Ap. 528: abl. patrimonium.) Enn. Ter. Suet. gramm. 23: verbum videtur ex vulgari sermone desumptum esse, ut etiam cambiare sive *cambire* (Sicul. Flacc.) Ap. 421. M. VIII. 567 *borrire* s. Flor. I. 7 *caecutire* Varro. M. VII. 488 *compavire* s. M. XI. 800 †. DSr. 111 *compotire* (aliquem alicuius rei Plaut. — compotire aliqua re Plaut. Tert. adv. Valent. 11.) Ap. 503 *dementire* Lucret. Lact. M. IV. 251. III. 212 *devestire* A. (laciniis se devestit Pamphile.) M. III. 281 *fringultire* Enn. Fronto. quod translato sensu deinde etiam cum accusativo

coniunxit Ap. 472. 595: fr. singulas syllabas." M. IX. 595 *ferocire* Gell. Amm. Tert. Ap. 430 *intergarrire* s. Flor. II. 41 Mund. 291. 324 *ignire* Prud. saepius apparet participium ignitus. M. XI. 811 *inunire* Tert. Ap. 543 *nupturire* Mart. III. 93. 18. M. II. 85. 115 *obgannire* Plaut. Ter. III. 200 *obaudire* Tert. adv. Marc. II. 2. 5. 18. M. I. 49. IV. 261 *offulcire* A. Ap. 505 *obtinnire* s. M. X. 709 *perhaurire* („uno haustu") Tert. M. I. 49. V. 369. IX. 657 *rebullire* A. VII. 471. VI. 429. IX. 643 Ap. 523 *revenire*: vox Plautina potissimum, sed semel etiam ap. Cic. Orat. I. 38. 175. M. VII. 470 *rudire* s. Ap. 480 *surire* Arnob. M. IV. 247 *scaturire* proprie Pallad. (translate Sen. quaest. nat. 3. 19. Col. Prud.) DPl. I. 192. 208 *subservire* Plaut. Ter. M. X. 715 *suffulcire* Plaut. Mart. IX. 3. 11. *Subaudire* unice dictum est M. V. 355: nocturnis subaudiens vocibus, quod inde ab ICtis ea notione, qua nos id verbum solemus ponere, usurpatum est. M. VIII. 546. Ap. 492 *unire* Gell. Tert. Sen. quaest. 2. 2. — Ex notionum mutationibus commemoremus hoc inusitatius de homine dictum M. VII. 497: Nec uspiam ruris *aperitur* ille„ quasi: reperitur. Peculiari deinde ratione *finire* pro necare positum est M. VI. 433: anus . . quam licet claudi pedis tui calce unica finire poteris." VIII. 520: Ad hunc modum definito iuvene": quae notio quum facile ex propria vocabuli vi deducatur, tum etiam glossographorum testimonio probatur: conferri potest Tert. Scorp. 10: bestiis finiendus." Denique *subvenire* significatione ab usitata remota sed non a verbi natura aliena pro: in mentem venire sive suggeri, impersonaliter dictum est M. III. 231: subvenit ad auxilium civile decurrere. (Gell. N. A. XIX. 7. 2: quae vox digna animadverti subvenit" multo minus offendit).

Extremo loco toti de nominibus verbisque absolutae fere quaestioni adiungatur quasi appendicula **formarum declinationis** diversitas, quanta quidem in Apulei libris potest certa constitui. Etenim huius inquisitionis fundamentum, codicum scriptura, quum omnino infirmum sit, tum etiam in iisdem vocibus prorsus licenter variatur: nonnulla etiam veterum ipsorum usu fluctuasse constat. Quam difficultatem recentissimus Apulei editor Hildebrandius ita non sublevavit, ut quod quoque loco ei probatissimum esset, reciperet, universam certamque scribendi normam secutus nullam. Ceterum ex his pleraque inter idiotismos vulgares aut archaismos referuntur. Frequentior etsi non ubivis dativi quartae declinationis forma *-u* vetustior, sed optimorum quoque scriptorum usu frequentata

cf. M. I. 23. 65. IV. 262. 276. V. 361. VI. 425. X. 725 etc; deinde ablativus a partus flexus *partibus* pro partubus M. IX. 657. DPl. II. 259 et M. X. 701 *sucuum* pro sucorum et M. VIII. 589 *sonu* Flor. III. 80 *susurru*. A *venus* ter dativum finxit *venui* M. VIII. 559. 570. IX. 613 (ubi Hildebrandius tum venui tum vaenui scribit): contra Tacitus A. XIII. 51. XIV. 15 veno. — Genitivi pluralis secundae declinationis contractam formam multis locis praetulit ut M. IV. 280 *servulum* II. 146 *nummum* VII. 452 *aureum* IX. 608 *liberum*. XI. 789. 817 *pastophorum*. DSr. 135 *ariolum*. DPl. II. 246 *desiderium*. M. XI. 776 *superum*. XI. 762. 776. 798 *inferum*. Tum Ap. 577 *domo* pro domi dixit et M. IV. 255. V. 324 *domus suas*. DSr. 171 *domus exornatas*: quantum autem fidei huic lectioni tribuendum sit, inde colligi potest, quod ibidem paullo ante p. 170 *domos ditissime exornant*,, Hildebrandius praeferendum existimavit. Ex tertia declinatione a legitima forma abhorrent (praeter M. 598 *pelvem* pro pelvim) ablativi DSr. 21 *decori* ib. 124 *vigori* et genitivorum in -um minus vulgares formae Asc. 304 *marum* Ap. 536 *animantum* aliaeque in *-ium* insolentiores DPl. II. 260 I. 199. 203. DSr. 160 Mund. 290. — Huiusmodi cascas terminationes ut M. II. 100 *puerileis*. VIII. 573 *omneis*. IV. 256 *populareis* Hildebrandius aut strictius exsequi aut omnino non recipere debuit. Nam qua tandem ratione Apuleium ductum esse putandum est, ut bis aut ter omneis et populareis et sexcenties omnes, populares eloqueretur? Comparativi longior forma *iuvenior* M. VIII. 562 praeterea legitur Plin. ep. IX. 4. 8. Constantior est quaedem in declinatione pronomum discrepantia: velut M. III. 210 nocti *istae* (Plaut. Truc. IV. 3. 16) ib. VIII. 537 *isto* meo pectori VII. 498 *isto* asino demere cf. ib. VI. 413. XI. 793. Ap. 595 *illo* pro illi, VII. 450 *alio*, VIII. 537 *uno* XI. 784 *totae* civitati. ib. 789 *toto* populo cf. III. 201. V. 370: quas formas ad depravatum vulgi usum revocandas esse arbitror. Ablativi syncope *quis* pro quibus (M. III. 212. 213) minus habet insolentiae. Obsoletam vocativi formam pronominis possessivi mi saepius repetivit ut M. IV. 297 *mi* herilis. ib. 292 *mi* parens V. 351 *mi* soror. VIII. 530 *mi* coniux. — Iam in verbis multa prorsus antiquitatem redolent. Primae declinationis perfecti formam -avi saepius praetulit, ubi usitata magis est -ui M. V. 344 *personavit* Prud. M. IV. 272 *superincubasse* ib. I. 69. *prosecatus* Col. Cato. Coniugationum commutatione non inaudita (cf. Prisc. IX. 10. p. 470) *sorbamus* sibi delegit pro sorbeamus M. II. 116. Retinuit etiam

perfecti priscam geminationem M. II. 129 *attetendit.* Mira deinde flexione M. VIII. 570 *conterui* finxit, sive *conterii*, secundum Sosip. Charis III. p. 220: *terii et trivi iuxta Apuleium.* Ex libris, qui nobis non innotuerunt, Priscianus servavit haec X. c. 3. p. 486 *disciturus* ib. p. 892 *ostensurus* Cato (cf. Mund. 295 ostensus Varro. Lucan. II. 192.) ib. X. 2. 499 *apposiverunt* Plaut. Scripturae diversitatem ipsam quoque ad affectationem vetustae speciei referendam animadvertere licet in his M. III. 183 *peremo.* ib. 188 *peremalur:* qua forma, in digestis et apud grammaticos frequentata, Catonem usum fuisse legimus ap. Fest. p. 217: contra M. XI. 726. X. 715 *depectus* pro depactus scripsit vel potius scripsisse eum Hildebrandius maluit. Deinde participia praeposuit M. II. 168 *detunsus* IX. 663 *obtunsus* (Serv. ad. Georg. I. 262 *Antiqui literam n addebant, quod propter euphoniam in aliquibus detraximus, ut obtusus.*) ib. VII. 473. VIII. 508. 588. *nanctus.* Verum huius usus certa norma nequit constitui: nam alibi literam n omisit, ut Flor. I. 35. Ap. 474 *ligula* dixit, de qua voce Mart. XIV. 120:

Quamvis me *ligulam* dicant equitesque patresque
Dictor ab indoctis *lingula* grammaticis.

Illas denique ex antiqua consuetudine haustas formas: *faxo, perduint, duat* non aliter usurpavit nisi in certis affirmandi aut exsecrandi aut vovendi locutionibus ut M. IV. 247. 292. VI. 425. V. 376. IX. 634. Ap. 552. 535: *duat deus iste.* In quartae declinationis perfectis formam non conctractam dilexit frequentavitque, maxime in eundi compositis cf. M. IV. 273 *subivit, transabivit.* ib. 284 *perivit.* VII. 458. 460 *interivit, transabivi.* Ad antiquorum imitationem spectant haec: M. X. 703 *abligurribam.* XI. 804 *insignibam* Stat. Theb. VII. 56. M. X. 701 *mollibam* Accius. ib. 723 *quibam.* V. 347 *munibam.* VII. 452 *parturibam.* IV. 247 *scaturibant; hauritus* pro haustus M. II. 125. III. 219. VI. 405. Apuleio soli familiare est; denique M. IV. 302 *praeteriuntur.* VI. 419 *redies.* Plaut. Hor.

Scriptoris syntaxis.

Atque his fere primam quaestionis nostrae partem absolvimus, qua continebatur copia vocabulorum. Nunc iam transgrediamur ad ea, quae in medio quasi posita iam ad alteram pertinent, in qua agitur de universa construendi ratione. Quorum ratio ab antecedentibus ita est diversa, ut non voces

ipsae i. e. formae insolentiores colligendae sint, sed de usu earum disputandum, quo quidem a purioris sermonis regulis differant. Nonnunquam etiam interponentur, sed rara tantum, vocabula non propter usurpationem sed formam insolentiorem notanda, quae prioribus subiungendi apta desiderabatur occasio.

Ac primum quidem observavimus quasdam in **pronominum pronominaliumque adiectivorum usu** Apuleianae dictionis proprietates. Ex quibus primum morem eius proponimus manifesto pluribus locis certo quodam consilio cogitateque iteratum, non singularem fortuitumve usum, quo vocabulis apponit pronomina possessiva, ubi ex nexu sententiae iis facile supersedere possemus eaque substantivis fere saepius anteponit quam postponit M. I. 19 *mea gula.* 65 *meis auribus.* 79 *suis pedibus.* II. 102 *suus dominus.* 141 *suae salutis.* ibid. *tuae urbanitatis.* III. 215 *meis luminibus.* 216 *meae Veneri.* 217 *meum spiritum.* 218 *suis cruciatibus.* ib. 180 *meam conscientiam.* 188 *mea manu.* 192 *cum suis insignibus.* 194 *tua parens.* 198 *tuam cutem.* 212 *suos amores.* 213 *suis artibus* cf. II. 89. IV. 267. 283. 304. 310. 313. V. 330. 346. 342. 374. VI. 386 *meae vires.* ibid. *tuis precibus.* ib. 391. 437 *meae salutis. meis virginalibus manibus. meis laboribus* VII. 484. 489 etc. In omnibus his et innumeris fere aliis exemplis tantum abest, ut praepositione pronominum pondus amplietur, ut potius ea omissa esse malimus. Iam illos locos, in quibus sunt otiose addita sed minus insigni collocatione postposita, colligere longum est: ad quos accedit ingens eorum multitudo, ubi anteposita sunt certa quadam ratione, velut, ut alterius pronominis personalis oppositione sive coniunctione praebeant iucundum concentum M. IV. 310 *odit in se suam formositatem.* V. 329 *Quid iam de te tuus maritus exspecto?* Quam deinde pariter consonantium vocum suavitatem auxit nota illa pronominum cumulatione cf. I. 29. 41. IV. 309. V. 321. VI. 443. VII. 471. VIII. 501. 545. IX. 671: *se cum suo sibi asino* multa alia Aliquanto etiam horum exemplorum numerum augere possemus, si adderemus ea, in quibus sensus quaedam subtilis oppositio desideravit pronominum insignitam collocationem. Verum hae ipsae sententiarum antitheses saepenumero prorsus inanes sunt, quibus quum Apuleius non posset pro indole sua et orationis arguta minutaque affectatione carere, etiam tum usus est, quum neque necessariae essent neque faciles quidem. Illum fontem fuisse contenderim, ex quo fluxerunt etiam pronominum quaesitae collocationes: quales proponam has, in quibus inesse

voluit sensus oppositionem, quam facile desiderare poteramus M.III.210: *sed tuum postulatum praeponam periculo meo* III.198. *quod tuum factum scaevitas consecuta in meum convertit exitium* multa similia. Sed hae sunt orationis proprietates magis ad universum tenorem spectantes: illa grammaticas linguae leges offendunt non accurate enunciata: M. II. 133 *quod a se ungue latius digrederer.* ib. IX.622: *Quae saevitia multo mihi magis genuinam curiositatem in suos mores ampliaverat:* ubi dicendum fuit: eius, illius. Sed reciprocum pronomen pro demonstrativo non inauditum est cf. Sil. XII.33. Curt. II.16. — Etiam minus insolitum est contrarium DPl. I.182: *Nam vidisse sibi visus est cyni pullum . . . in eius gremio resedisse* pro: in gremio suo. Verum hae leves videntur neglegentiae et interspersae fortuitaeque prae usu eius creberrime occurrente, quo a sinceri sermonis regula stabili aliquam multum recessit. Amat enim genitivos mei tui sui loco pronominum possessivorum ponere idque non solum tum, quum aliquid proprie ac necessario ad vim alicuius rei pertinere dicitur: qua ratione hi genitivi ne a puriore quidem ratione abhorrent, quamque, exempli gratia, habet illud Ovid. met. I.30: pressa est tellus gravitate sui. Huiusmodi sunt DPl. I.199 *quae natura sui immota sunt.* ib. 205 *rationi sui.* ib. 212 *sui genere.* Mund. 342 *sui natura.* Offendimus vero in his: M. VI.435 *tractu sui.* I. 65. V. 323 *fatigationem sui.* XI.774 *medio sui patore.* ib. 788 *prospectum sui.* II. 152 *nostri vim praesentariam.* IX. 641 *absque noxa nostri.* Ap. 440 *ad usum sui.* 567 *principio sui.* DPl. I. 192 *propter evidentiam sui.* ib. 213 *sui accessu.* DSr. 117 *specimen sui variat.* ib. 144 *speciem sui.* Flor. I. 11 *primordio sui.* Illa Mund. 324 *celeritate sui.* 322 *pernicitate sui claricantes ignes* (sc. fulminum) fortasse ad priorum exemplorum similitudinem propriam fulgurum velocitatem significare volunt.

Iam demonstrativorum pronominum usus tam insignis est ac profusus, ut inde proprius orationi color inducatur. Iam supra demonstrandi interiectiones *en ecce heus* persaepe frequentatas diximus morem redolere quodammodo vulgarem. Idem in his pronominibus usuvenit, quibus vivida et incitata fit oratio, quum res quasi ante oculos ponantur eaque propositione clarius illustrentur: velut M. IX. 635 *molae sonum et ecce illius scabiosi asini faciem.* V. 369. 360 *ipsum illum Cupidinem.* II. 113 *mellitissimum illud savium impressit.* II. 96 *Pamphiles illius, quae cum Milone isto nupta est,* permulta alia: non pos-

sumus enim usus frequentiam circumscribere aut certe significare allatis exemplis omnibus. Creberrime deinde demonstrativa pronomina possessivis adiunguntur: ex quibus cum iam solis per se, si vocabulis suis anteponuntur, sermocinationis blandus quidam comisque efficiatur tenor (cf. M. V. 327. 344 *suam Psychen admonet* (Cupido). V. 338 *tuae Psyches dulcis anima*, III. 198 *tuam lacteam cutem*. IV. 310 *desertam suam solitudinem*. VI. 437 *meis virginalibus manibus* etc.) tum etiam magis percipitur vulgaris dicendi consuetudinis quaedam species cf. M. II. 141 *fabulam illam tuam remetire*. III. 185 *illum bonum hospitem parentemque meum*. ib. 200 *huius religiosi pectoris tui*. IV. 223. 224 *equum illum meum*. ibid. *praeclarus, ille vector meus*. V. 372 *ille bonus filius meus**). VII. 484 *hoc quoque suum nequissimum factum*. 489 *illis suis monstruosis nuptiis*. V. 330. 342 *suis illis nocturnis sermonibus* etc. Mirifice autem ceterorum usum exsuperat pronomen iste, quod Apuleium dilexisse inprimis manifestant plurimi loci M. II. 97 *omnem istam lucem mundi*. II. 115 *vinum istud hodie sorbamus*. 134 *metum istum tibi demam*. 117 *grandem istam lucernam*. 123 *sub istis oculis*. III. 203 *istud consilium* 209 *Scio istud*. ib. 210 *nocti istae*. 227 *istum sacrilegum*. 217. 218 *istud occurrit, istas aves, istud factum*. ib. 209 *tuis istis micantibus oculis*. II. 141 *filius meus iste Lucius*. III. 215 *per istas tuas papillas*. 217 *dulcem istum capilli tui nodulum*. V. 330 *tuo isto dulcissimo concubio* etc. Atque horum locorum ea est ratio, ut τῷ iste monstretur res, quae a loquentis persona remota plerumque ad alterum, quocum agit, spectat itaque vulgo coniunctum invenimus: iste tuus (ut V. 342. VII. 489 illis suis etc.) Sed apud Apuleium non minus crebro et nescio an fortasse crebrius ad agentem personam praesentemque rem ipsam relatum est pronominisque „hic" vices obtinuit: quae naturalis propriaeque rationis immutatio etiam Tertulliano omnibusque Afris communis est, quippe qui nec puri sermonis norma continerentur nec iam tam subtilem tenuemque notionis diversi-

*) Dictum est hoc per ironiae speciem Apuleio familiarissimam, per quam sexcenties usurpavit bonus cf. M. I. 36 „boni latrones". 43. „bonus Socrates." 46 At hic bonus consiliator." 47 „At bona Panthia" 49. 54 „bona Meroe". cf. II 116. 125. 149. III. 181 etc. itemque probus M. I. 53 „At illae probae . . ianuae." II. 106 probi Milonis, et egregius M. II. 163. V. 335. IX. 604. 637. X. 725. VIII. 539: en venator egregius, en carus maritus, alia M. IV. 245 „tam bellum consilium". VI. 443 „benignus comes" ib. 431 „mitissimi homines" etc.: quae ironia et ipsa nimia frequentia sua accedit ad vulgaris sermocinationis similitudinem.

tatem sentire possent. Ita Apuleius dixit M. II. 89. V. 377 *meis istis manibus* VI. 437 *istis cruciatibus meis*. 424 *istud pectus meum*. V. 339 *Ego vero . . manus tam delicatas istas* (sc. meas) *adurens*. VI. 405 *rorem . . ista confestim deferes urnula. Sic aiens . . vasculum ei . . tradidit*. X. 692 *quae plane comperi ad istas literas proferam* (sc. hoc libro, quem conscripturus sum). VI. 399 *ante istam vesperam opus expeditum approbato mihi* (sc. ante hanc, hodiernam vesperam, ut ap. Tert. DPall. 2: *Quantum reformavit orbis saeculum istud* sc. nostrum). — Alacris atque incitatioris orationis est etiam haec pronominum geminatione amplificata et exacuta demonstratio M. VIII. 563 *hunc illum nec alium*. II. 173. *Hanc illam mihi gloriosam peregrinationem fore praedicabat*. II. 119 *quove nomine nuncupatur hic iste Chaldaeus?* quorum alterum est exacerbati et per ironiam quasi gloriantis, alterum cum contemptu quaerentis. Usitatiora sunt DPl. II. 248. 242. *Hunc talem*. M. IX. 651 *Haec talis . . in suum cubiculum ducit eum*. Flor. I. 40 *eam talem*. Deinde in interrogatione coniunxit M. II. 143 *Quid hoc, inquam, comperior?* quod, ut ibi tota sermocinandi species, ad vulgarem consuetudinem accedit, quodque nos simili demonstrandi notione adiecta vertimus (cf. M. IX. 602. II. 114 *Quid istic est.*)

Proximum est, ut observationem parvam quidem et minutam, sed non aspernabilem proferamus in **indefiniti pronominis quidam** usu factam, prae ceteris in primis metamorphoseon libris. Quorum species paullo diversa est, non dico ab Apologia vel philosophicis libris, sed a posteriore earum parte: nam sermocinationes multae insunt et narrationes breves, in quibus festinat oratio brevibusque sententiis solvitur et remissa est simplicitatisquė vel etiam neglegentiae prae se fert speciem. Nam quamdiu non in profusis vel lascivis descriptionibus exsultat scriptor, quibus ostentet rhetoricam facundiam et ingeni ubertatem illudque proprium sui genus exaggeratum atque opimum, tamdiu nonnunquam etiam cursu properat orationis non modestioris tantum sed etiam laxae. Quod quum in prioribus libris usuveniat, ibi reperitur pronominum quidam et quispiam effusa memorabilisque usurpatio. Etenim, qui hominem aut rem nondum nota, de quibus locuturus est, pluribus designare aut non vult aut nequit, commoda facilique pronominis quidam appellatione est contentus. Inde etiam evenit, ut in sermonibus hominum vulgarium, quibus in cogitandi parum accurata contentione verba neque praesto sint neque statim in mentem

subveniant neque in loquendi properatione omnino conquirantur aut desiderentur, usus eius sit creberrimus. Itaque hac quoque re vulgaris dictionis cerni potest quaedam similitudo: quam tamen circumscriptam esse volumus artis regionibus. Variae autem eius moris species apud Apuleium discernendae sunt: sive quidam cum nominibus propriis sive cum numeralibus coniunxit sive solita ratione posuit. Usus frequentiam exemplis ante illustrare iuvabit: **M.** I. 34 *in quadam convalli* .. *ad quandam cauponam devorto.* 66 *de quadam anu.* III. 232 *hortulum quendam prospexi.* ib. 194 *quidam famulus.* ib. 212 *quadam die.* cf. VIII. 512. II. 123. 133. IX. 600. — **M.** IX. 655 XI. 794 *nocte quadam.* II. 123 *ecce quidam de nobilibus adolescentulus.* 143 *procerum quendam senem* ib. *ad quempiam praetereuntium.* 141 *omnium ora .. in unum quempiam conferuntur.* 162. *editiorem quendam lapidem insistens.* 165 *per quoddam foramen.* 146 *perducit ad domum quampiam ... per quandam brevem posticulam .. ad conclave quoddam.* III. 177 *accusator quidam senior.. vasculo quodam.* 179 *in quandam domum.* 218 *larem quempiam.* 212 *per rimam quampiam.* 197 *lorum quempiam depromit* 181 *quosdam latrones.* 186 *quaedam mulier .. parvulum quendam sinu tolerans.* IV. 240 *iuvenis quidam.* 241 *mulier quaepiam.* 243 *rivulum quendam.* 250 *anum quandam* etc. In permultis vel potius plerisque exemplis decessit pronominis notio fere ad nostratium indefiniti ein levitatem. — Secernenda est ab his minus vulgata usurpatio ea, qua numeralibus saepenumero additur, ut M. III. 162 *tres quidam vegentes.* IV. 251. X. 700 *me quibusdam duobus servis .. vendidit.* II. 148 *introductis quibusdam septem testibus.* Paullo insolentius denique nominibus propriis apponitur quidam (ut apud Tertullianum saepissime „aliquis".) M. II. 123 *Cerdo quidam nomine negotiator accessit.* Ap. 399 *apud Graecos Teius quidam* (sc. Anacreon) ironice dictum est.*) Ex ceteris pronominalibus vocibus paucae tantum mentione dignae sunt eaeque et dispersae nimis neque graves. **Alius,** ubi de duobus quaeritur sinceriorque linguae usus „alter" desiderat, saepius legitur. **M.** II. 121. 157. III. 183. IV. 245. VIII. 560. V. 325. Tum **utrique** de duobus singulis hominibus rebusve positum grammaticis quidem regulis adversatur, sed non sine exemplo dictum est (cf. Burm. Anthol. I. 472.) M. I. 65 *comites utrique.* III. 186 *quaedam mulier .. ac pone eam anus alia ..*

*) M. VII. 457: Sed uxor eius Plotina quaedam rarae fidei femina" huc referre dubitavi.

ramos oleaginos utraeque quatientes. **Ullus** M. V. 356: *periculum quidem ullum ante oculos habere compellit* ita saepius usurpatur, ubi negationem desideramus, ut incertum quid exprimatur qualecunque, quodcunque est. Deinde **nullus** cum graviore negandi vi saepius legitur pro non*) ut M. VII. 480 *nullus tamen desinebat identidem vulnus sanguine delibutum obtundere.* VIII. 560 *an nulli scitis quo loco consederitis.* ib. 553 *nulli contra nos aditum tulerunt.* IX. 651 *nullus respondit dominus.* vel VIII. 563 *nec ullum usquam miserrimum senem comparere illum.* Est hoc loquendi genus remotum ex omni graviore oratione. Quare neque Cicero in reliquis praeter epistolas scriptis neque alii, quorum culta dictio erat, scriptores ita locuti sunt. — Denique coniungere amat *nihil quidquam,* quod Terentio familiarissimum est (Hec. III. 3.40. Phorm. II. 1.20. Andr. I. 1.63.) cf. M. IV. 251. VII. 444. 496. Flor. IV. 85. I. 29: *nihil quidquam. sinit negligenter* itemque M. IV. 284 *nemo quisquam fuerit ausus.* (Ter. Hec. I. 1.10.)

Quae postquam de pronominibus in transcursu magis quam fusius exposuimus, tandem ad **particulas** pergamus, parvas quidem minutasque voculas, sed ad veterum scripta penitus noscenda et ad scientiam linguae latinae in primis necessarias. Atque ut aliquem certe ordinem in disserendo sequamur, ad ea primum convertamur adverbia, quae a pronominibus deflexa sunt vel aliquo modo ad ea pertinent. — Rarissime iunctum invenimus *aliquam multus,* praeter Apuleium a Gellio III. 16. 17, sed Varronis verba referente et Tertullimo (Apol. 12 aliquam pluribus) usurpatum cf. M. XI. 809. Flor. III. 61. Ap. 388. 545. 593. (M. I. 74 *post aliquantum multum temporis.*) **Alioquin** ea significatione, qua unam aliquam partem opponit rei universae quaeque nostro überhaupt optime vertitur (Plin. Quint. Tac.), nulla alia de caussa notandum est, quam quod Apuleius eo delectatus inque hoc eius usu plurimus est, ita, ut fere semper adiectivo adiectivum alterum notionis propinquae iungat cum copula, velut M. I. 16. 44. 55. 57. 56 *putris alioquin et vetus funis.* II. 99. 105. 128 *inquies alioquin et petulans* III. 180. IV. 236. 257. VI. 408. VII. 477. VIII. 528. IX. 620. 675. XI. 797. Flor. III. 88 *versutus alioquin et ingeniatus ad astutiam.* Rarius in alioquin locum successit **alias**, quod ceteroqui loci tantum vel temporis indicat rationes. M. VIII. 589 *Inibi vir*

*) De quo usu fusius disputavit Haupt. observ. crit p. 3.

principalis et alias religiosus et eximie deum reverens. VII. 477 *terribiles alias et utique quovis asino fortiores.* IX. 667 *moerore permixtus et alias latini sermonis ignarus.* ib. 600 *dolio, quod erat in angulo semiobrutum, sed alias vacuum.* **Abhinc** ad loci significationem referendum esse, cuius apud veteres certe vestigia reperiuntur (Plaut. Pers. V. 2. 19. Lucr. III. 967) verisimile est Flor. III. 76: *uti per omnes provincias eat* (sc. liber) *totoque abhinc orbe totoque abhinc tempore laudes benefacti tui ubique gentium semper annorum repraesentet.* Non quidem necessarium est „toto abhinc orbe" loci notione intelligere, verum ita intelligi debere mihi quidem pro certo persuasum est ex enunciationis concinnitate illaque non fortuita, sed quaesita accurateque collocata „ubique gentium, semper annorum" oppositione, denique ex tota eius insolentiora quaeque consectandi studio. Praeterea spectandum est, etiam Tertullianum ab hoc usu non abstinuisse sese cf. adv. Valent. 13. 16: Abhinc Achamoth expedita tandem etc. — **Dehinc** Flor. IV. 91: *in hodiernum dehinc semper* quum apud poetas Augustei aevi (Ov. Verg.) et insequentis scriptores (Sen. Tac.) non infrequens sit, tamen qua hoc loco dictum est, nativa notione veterum potissimum comicorum proprium est. Semel significatione eadem praetulit *exhinc* M. XI. 806. Translato sensu caussam designat, quod ipsum quoque Apuleio soli usitatum est *prohinc* M. III. 188. 195. V. 322. XI. 811. **Exinde** bifariam notandum est: primum enim est = ex illo tempore M. II. 121 *exinde ut de Euboea . . enavigasti.* M. I. 7. VII. 448. VIII. 573. X. 709. XI. 784. 811. VII. 491. 499: *eiulans et exinde proclamans.* Ap. 385. 447. 593. Flor. II. 47, tum levi facilique notionis deflexione accedit ad indicandam caussam M. VI. 430 X. 726 DSr. 105. *Scripta enim pensiculatis et examinatis* . . et paullo infra: *Quanto enim orationi exinde modificabor*: quorum prior est Plautinae consuetudinis, altera nulli ante placuit nisi recentissimi demum aevi scriptoribus. Breviorem formam *exin* nonnunquam praetulit M. X. 726. XI. 784, ut etiam *proin* (Plaut. Catull.) dixit Flor. III. 67. Paullo rarius est, sed prorsus rationale *deinde* in consecutionibus, quasi ergo, quum hoc ita sit DSr. 155. (cf. Quint. decl. 17.) — Insolitas notionis mutationes **hactenus** subiit. Nam M. VI. 415 de loci regione legitur fere = ad hunc locum, intra hos terminos: *Sed non hactenus vacua debebis per illas tenebras incedere*: quae vocis notio primum videtur in Ovidi Vergilique

poematis apparere*). Multo difficilius est dictu, qualis ei adiudicanda sit M. III. 211: *Omnibus abiectis amiculis hactenus denique intecti.. bacchamur in Venerem:* ubi nexui sententiarum sensuique aptissima fuerit neque improbabilis: iam nunc, iam denique. Quocum congruens exemplum comparare iuvabit ex Tert. Pudic. 15: qui moechabatur, hactenus non moechetur. **Ibi** cum verbis eundi vel proficiscendi coniunctum deterioris latinitatis soloecismus est, inprimis in Ictorum libris frequens: cui adnumerandi sunt loci M. IV. 250 *Quum ibi derepsissent.* VII. 485 *pluviae conceptaculum .. conspicatus, ibi memet abicio.* Illa non difficili neque insolita loci temporisque notionum commutatione, quam in omnibus linguis animadvertere licet, dictum est Ap. 378 *Ibi vero .. Aemilianus quaerere occepit* etc. Similiter **ibidem** pro: eodem tempore legitur Ap. 562: *ibidem dicendo tacere.* Decedit inde facili derivatione in significationem „statim, confestim" qua apud Tertullianum est frequentissimum cf. D. Fug. Pers. 1. DCor. 3. Apol. 2. 50. Scorp. 1. Eadem deflexione **inibi**, obsoletum desitumque in cultiore sermone vocabulum (Plaut. Cato. Gell.) quamvis vulgo ad locum pertineat **M.** VI. 413. VIII. 568. 589. I. 67: *Inibi Milo deversatur,* ad temporis rationem est revocandum **M.** II. 116 *Inibi recreabar animi* i. e. quasi „illico" ut etiam apud Gellium N. A. I. 3. 1.: Chilonem in vitae suae postremo cum iam inibi mors occuparet. **Interibi** = interea Ap. 547 *interibi revalesco* ne Plauto quidem ita crebrum est et ab exculcatae vetustatis imitatoribus tantum, ab Apuleio revocatum et Gellio N. A. III. 7. 17. **Inde** cum personis coniunctum, ut indicet quamlibet rationem ad hominem pertinentem non adeo mirum est cf. Flor. IV. 87. M. I. 83 *indidem plumatas aves* (sc. ex hominibus): quod non sui ratione sed totius breviloquentiae audacia fit insolentius. Deinde non motum sed statum rei designat, saepius una cum aliis eiusdem notionis particulis in huiusmodi locis M. XI. 762: *Inde Phryges Pessinunticam deum matrem, hinc Attici Cecropiam Minervam, illinc Cypri Paphiam Venerem* etc.: ubi malueris: ibi-hic-illic; ib. 804 *hinc dracones - inde gryphes:* qui mos quamvis ab antiquiorum sinceritate remotus est, tamen et ad explicandum facilis est neque unicus (cf. Mart. IX. 55. 9.) — **Illico** propria significatione, de qua natum est, pro: in eo loco M. IX. 673. *Nec defuit vicinus perfidus, qui nos illico occultari nuntiaret* a priscis tantum poetis usurpatur Acc. Naev. Ter. *Illac* (Plaut. Cic.

*) Hand-Tursellinus: de particulis III. p. 8.

Att. 7. 3. 5.) verbis eundi rarius additur M. VI. 441 *illac commeasse.* (cf. Ov. Fast. VI. 295.) Denique obsoletas formas *illi, isti* Apuleium vulgaribus tritisque illic, istic antehabuisse non mirum est cf. M. IV. 267. — Restat, ut usum universis his loci adverbiis communem proponamus, quem ex dictione mere Plautina detraxit quemque et ob hoc ipsum et propter naturam eius ex vulgaris sermonis consuetudine fluxisse probabile est. Saepissime enim haec adverbia cum loci ipsius appellatione coniungit, quo distinctius definiantur aut ipsa, aut acrius demonstretur atque accuratius is locus: velut M. VIII. 546 *ibidem ad sepculcrum.* VII. 448 *ibidem in hospitio.* VI. 391 *illic in domo matris.* Flor. I. 20 *ibidem sitis ad nascentem diem.* VIII. 576 *illinc de primo limine.* ib. 557 *illinc de summo cupressus cacumine.* VI. 402 *inde de fluvio.* XI. 789 *indidem de suggestu* X. 728 *indidem de potione gustavit ampliter**). Huius accuratae demonstrationis adaugetur vis adverbiorum geminatione, velut in his, quae sunt graviter commoti verba Ap. 501 *hic ibidem pro tribunali.* ib. 598 *tabulas . . hic ibidem pro pedibus tuis abicio*, aut aliter Flor. IV. 84: *hic ibidem varias civitates substituere.* Quae de relativis adverbiis observavimus, ad easdem fere, de quibus supra disseruimus, rationes spectant. Velut **ubi** aperte adverbii quo partes agit M. IX. 668: *Ubi ducis asinum istum?* quae quidem neglegentia etsi non excusatur, certe declaratur sententia, quae praecedit: *Ergo graece subiciens miles: Ubi, inquit* etc.: de consilio enim adverbium quietis ex Graeca dicendi consuetudine eaque vulgari videtur translatum esse in motionis significationem. Similiter deinde atque demonstrativa, etiam „ubi, unde" pro relativi pronominis casibus usurpantur, quod non ita memorabile est M. VI. 394 *libellum, ubi.* ib. 397 *turgidi ventris . . unde me aviam faciat.* VII. 466 *pecua comminantes. Unde praelectum grandem hircum* (i. e. ex quibus.) In indefinitis adverbiis relativis**) saepius verbum, quo efficiatur atque compleatur enunciatio, omissum est: quod interdum in circumcisae sententiae angustia vehementer desideratur, velut M. V. 377: *nec tamen vindictae solatium undeunde spernendum est.* (cf. Tert. adv. Marc. III. 9 *veritatem undeunde producunt.*) Ea-

*) Gell. N. A. VII. 10. 4: qui indidem Megaris erat" paullo diversum est.

**) Idem de pronominibus ipsis valet Flor. III. 77 „quantulumcunque ingenium meum . . hominibus notius est." M. VI. 402 „floccum quoquo modo quaesitum." ib. II. 135 „quantulumquantulum ferens auxilium."

dem brevitate, puro sermoni non toleranda, dicta sunt: **M. I.** 91 *facies quaqua pinnis explicitis.* IV. 247: *convalles .. quaquaversus repositae*; deinde M. IV. 254 *illum quidem utcunque nimia virtus sua peremit.* ib. 281 *utcunque cunctis in domo visa pronunciat.* ib. 269 *totis utcunque patrimonii viribus.* VI. 444 *utcunque mors ei fuerat destinata.* VII. 499 *utcunque se praesumit innocentem.* VIII. 590 *utcunque metuens altius.* Quae quoniam semel tetigimus, ceteras quoque similis breviloquentiae species adnectamus. Facilius quidem ferendum magisque vulgatum est, etsi ab optima atque accuratissima scribendi norma discrepat **M.** III. 237: *quamvis crudis oleribus .. ventrem saginavi.* IV. 265: *quamquam invalido, repentino tamen .. pulsu.* — III. 190 *ingratis licet retexi corpora.* ib. 197 *licet maius quodvis supplicium.* IV. 288 *licet vilem laciniam ferentes.* VI. 433 *licet claudi pedis calce unica finire poteris* (sc. anum.): quod ita breviter adiectivo additum veterum Latinorum moris fuisse accipio ex Lachmanni notis ad Propert. III. 3. 74 (sive II. 34. 74). Creberrime autem **utpote**, quod qui sincerius locuti sunt cum relativo pronomine aut participio coniunxerunt, cuilibet apposito cum loquendi quadam non incommoda brevitate additur **M.** II. 135 *utpote apud primatem feminam flos ipse civitatis.* II. 156 *rituque patrio utpote unus de optimatibus .. pompa ductabatur.* ib. 165 *hic utpote vivus.* 171 *utpote pugnacium latronum.* V. 354 *Psyche .. utpote simplex.* VI. 443 *utpote in coetu turbulento.*

Una cum his quaedam alia simili modo breviter enunciata consideremus, quorum diversa est a prioribus figura, ratio non ita non multum differt. Persaepe enim adverbia vel adverbiales locutiones tam arte cum substantivis coniungit, ut appositorum speciem videantur subire: quae, qui electius scriptitaverunt, longiore ambitu totius enunciationis relativae explicare necesse erat. Hanc structuram, quae quamvis et commodam quandam brevitatem habeat in scribendo neque molestiam in legendo, tamen latinae linguae indolem ac leges impugnat, repetita ex Graecorum licentia vel ad eius instar conformata, non omnibus quidem locis prorsus manifestam esse aut necessario accipi debere concedimus: sed satis multi sunt, in quibus negari non potest*). Illa igitur Flor. I. 21 *vel sagittis*

*) Apud Tertullianum inmorem increbruit plurifariam occurrentem Apol. 9. cuius ubique saltus. ib. 17 iterum Christianus cf. ib. 5. 26. 48. Natt. I. 12. 16. II. 5. Spect. I. Cult. Fem. II. 9. DPall. 1. Virg. Vel. 7. adv. Valent. 18. 20 Praesc. Haer. 4. Marc. V. 1. D. Orat. 1. totius retro vetustatis. DCoron. 8 in nostris hodie usibus etc.

eminus vel ensibus cominus. M. VIII. 555. *qua potissimum caveremus clade, cominus canum an eminus lapidum.* IV. 236 *nos . . in pratum proximum passim libero pastui tradidere* vel Flor. III. 65 *ioca non infra soccum* etc. iure omittuntur. Vulgariora sunt etiam M. XI. 784: *tam praeclarum de coelo patrocinium.* Asc. 325 *convertimus nos ad puram et sine animalibus coenam.* At haec brevitate nimia contra latinae linguae severitatem ac secundum Graecae libertatem dicta sunt: DSr. 144 *exortus terrenus et retro defluxus in terras.* Ap. 423 *sine ullo foris adminiculo.* M. XI. 778 *miris extrinsecus simulacris* (cf. Tert. DSpect 1: solatia extrinsecus oculorum et aurium). M. XI. 799 *renatos ad novae reponere rursus salutis curricula* (Tert. Apol. 48 rursus resurrectio). Ap. 550 *illa tum foeda animi mutatio.* M. III. 223 *Milonis quondam hospitis mei.* IX. 622 *meis aliquando luminibus.* VIII. 562 *monstrantem digito non longe frutices.* Flor. IV. 86 *vox mea utrimque lingua iam vestris auribus . . probe cognita.* Fortasse etiam illud Flor. III. 77 *totoque abhinc orbe totoque abhinc tempore* huc referendum est. Verum haec maxima ex parte temporis adverbia sunt ad instar appositorum usurpata vel potius collocata. Quod Hildebrandius huic classi intrudere voluit Ap. 456: *de falso invidia deque epistolis mulieris* etc. pro: falsa invidia, multum ab illis distat et quamvis codicum auctoritate nitatur, potius habendum est scripturae mendum. Nonnulli falsoinvidia iunctim scripserunt, eo lectionem sustineri posse rati. Sed iam Casaubonus iure correxit: de falsa invidia. Verum iam revertatur, unde digressa est oratio.

Ex adverbiis igitur, quae a pronominibus pronominalibusque vocibus derivata sunt, porro desumamus pauca adhuc neglecta. **Ceterum** recentioris tantum aetatis propria significatione quasi: alioquin, passim varieque usus est Apuleius, ut M. V. 328 *Ceterum tibi summum creabis exitium* (sc. si aliter facis.) ib. 355. VIII. 502 *Ceterum* (i. e. ni aliter evenisset) *titione delirantis Altheae Meleager asinus interisset.* Ap. 494 *Ceterum me etiam veneficii reum postularent* etc. — **Tantum** graviter adhortantis est M. V. 329 *tantum memineris,* quasi: modo ut memineris, ut Ov. Trist. I. 1. 101: tantum ne noceas. Deinde notanda est locutio: tantum quod i. e. praeterquam quod DSr. 140 *illis* (sc. avibus) *victus omnis in terra, . . tantum quod aera volitando transverberant.* Est quidem iam Ciceroni in epistulis usitata, sed tantum de tempore modo peracto. Ea, qua hic legitur, notione prae ceteris Tertulliano familiarissima est,

omisso etiam verbo, ut adv. Natt. I. 4: bonus vir Lucius Titus, tantum quod Christianus. — **Quam** insolita ratione positum est M. I. 49: *vulnus, quam maxime patebat, spongia offulciens:* ubi quantum dici debebat. Saepenumero deinde ad augendam notionis vim additur non superlativis sed simplicibus adiectivis: quod, quamquam ante non incognitum est, tamen eo memorandum est, quod nimia frequentia in scriptoris consuetudinem abiit cf. M. II. 106. 125. III. 224. IX. 628 *quam procul semotus, distractus* etc. II. 130 *crinibus quam dissolutis.* IV. 242 *loro quam valido.* V. 357 *nisu quam valido* ib. II. 148. VIII. 505. 537 *quam probe veste contectus.* XI. 778 *fundo quam rotundo.* Accedit intendendae notionis gratia verbum posse: M. II. 116 *accubueram quam pote tutus ab uxoris eius adspectu.* Sic etiam quantum additur, velut, ut cuiusque gradus exemplum afferamus: M. III. 227 *quanto maxime nisu poteram.* III. 230 *quantum possunt gravioribus sarcinis.* VIII. 551 *quantum potui turbae medius.* Quibus extremo loco adiungatur rarior vox (Plin.) **perquam** M. II. 103 *tuccetum perquam sapidissimum.* Ap. 534 *perquam impudenti.* Flor. II. 51. *Ibi donarium deae perquam opulentum.* **Tam** insolito modo superlativis additur: quae licentia melius non ad hanc particulam referenda, sed toti Apulei indoli tribuenda est. M. IV. 306 *tam infimus.* Ap. 398 *tam proxumum argumentum.* Alterum (proxumus) excusationem habet eam, quod in eo obscurata atque obliterata videtur significationis amplificatio: quod etiam effici potest ex reliquo Apulei usu (Ap. 458. 476 *oppido proxima humanitate*) et ex Tertulliano, qui non semel coniunxit magis proxumus Apol. cp. 23. Idol 11. Natt. II. 12. et ex Minucio Felice, qui non veritus est confingere: proximius cp. 19. §. 2. — **Adeo** in conclusionibus usurpatum, pro idcirco fere accipiendum est Flor. III. 79 *vox in vagina silentii condita diutino torpore hebetatur . . Tragoedi adeo ni quotidie proclamant, claritudo arteriis obsolescit.* Equidem nescio, qua tandem alia ratione particula hoc loco sit explicanda: quamquam video grammaticos expressis verbis negasse, eam unquam ita esse usurpatam*). Deinde in initio orationis ad proponendam sententiam, ubi nos cum eadem insigni positura vertimus: So . ., adhibetur Ap. 421 *Adeo vir omnium sapientissimus speculo etiam ad disciplinam morum utebatur.* ib. 510 *Aristoteles adeo scriptum reliquit* etc. Tum et pronominibus demonstrativis et persona-

*) Reissig-Haase §. 274: Adeo wird nie gebraucht um zu folgern.

libus apponitur ad amplificandam eorum vim animumque acrius ad ea convertendum Ap. 429 *ego adeo.* DSr. 145 *adeo hic sit* et adverbiis loci temporisque Flor. IV. 87 *Semper adeo et ubique* (sic apud Gell. II. 23. 4 nuper adeo, ap. Plaut. nunc adeo). Peculiari denique ratione *non adeo* in oppositionibus usurpatum est: M. X. 688 *non adeo mentiebatur . . sed* etc. XI. 774 *lucernam . . non adeo nostris illis consimilem sed aureum cymbium.* III. 272 *non corporis adeo sed animi robore.* — Sic in enunciationis altera parte ita ponitur, ut antecedens vel verbum vel sententiam comprehendat eamque complexum quasi oculis iterum subiciat et designet, quod inde proveniat. Creberrime ita post participia perfecti aut praesentis temporis in apodosi reperitur „sic", ubi nos quidem ipsi quoque addere solemus ſo: quod tamen additamentum, qui electius locuti sunt, vulgo repudiaverunt cf. M. IX. 653 *dorsum insidens meum sic hortum redire consuerat.* VI. 416 *Charon protinus expetens portorium . . sic ad ripam ducit commeantes.* — VII. 173 *Complicitis denique pedibus . . sic grabatum coxim insidens ubertim flebam.* VII. 481 *lapidibus additis insuper sic iniquitatem ponderis medebatur.* X. 629 *dimota contatione, sic ad aures dominae mandatum perfert.* (Simili ratione apodosin excipit particula tum, ut apud Graecos τότε, M. IX. 673 *quosdam commilitones nanctus tum clades enarrat suas.*) Neque post participia tantum, sed aliter etiam in consecutionibus locum obtinet „sic" ut M. III. 182. *Sic salvi recedemus, si salvum in domo neminem reliquerimus.* ib. 213 *Fit bubo Pamphile. Sic edito stridore querulo* etc. (ib. 212 in avem sese plumaturam et ad suum cupitum sic volaturam.) Eadem ratione sed audacius dictum est M. IV. 310. *Psyche virgo vidua domi residens deflet desertam suam solitudinem . . Sic . . pater dei Milesii vetustissimum percontatur oraculum . . et virgini petit nuptias*: hoc enim loco est = quae quum ita essent, ideo, ea de caussa: quamquam diversum est a Plautino illo „sic" Most. II. 2. 20. Deinde in stomachantis graviter et conquerentis interrogatione, ut M. VI. 397 (ac per eandem speciem *sicine* M. III. 217. IX. 600) non adeo insolens est. Denique ea notione, quam explanavimus primam, frequentissime reperitur, non quidem perperam, sed cum licenti neglegentique quadam audacia positum (velut ap. Petron. 58: quod me sic vides): cuius creberrimi atque admodum varii usus pluria exempla transcribere non operae est pretium cf. M. III. 214. 216. V. 345. 363. 338. IV. 250. VII. 405. VIII. 542. IX. 592. VI. 446.

Sed iam linquamus pronominum adverbia quaeque ibi aptius subnecti poterant. Imminet enim ingens multitudo ceterarum particularum forma usuque diversissimarum, gravitate parium, ex quibus certe maxime insignes pertractandae sunt. In quarum tanta copia atque varietate disserendi ordinem quendam servabimus quantum quidem possumus accuratum, aut originatione aut ratione similia quaeque collaturi. Prius autem, quam singulas adgrediamur, ante oculos libet proponere multimodisque exemplis illustrare iuvabit consuetudinem non unius Apulei propriam, sed linguae universae quum doctae affectationis arteficiis infucatae tum vulgaris sermonis sordibus interspersae communem: illam dico vocum eiusdem fere vel propinquae notionis geminationem, primum ac principaliter quidem ad vim earum augendam quaesitam: sed multifariam ab hac principali ratione oratio recessit. Atque ad huiusmodi cumulationem quum iam principio pronum sit ingenium Apulei, ubique verborum tumulos sensuumque cumulos volventis ad inanem aurium delectationem turgidamque orationis ubertatem: tum maxime in copulandis eiusdem fere significationis particulis hoc eius studium memorabile est. De illis quidem M. I. 58 *curiose sedulo*. ib. 53 *vix tandem et aegerrime* aliis similibus non quaeritur; huiusmodi quoque, quae ex comicorum veterum imitatione fluxerunt, dictionis proprietates non respiciuntur, quales M. IX. 662. XI. 775 *magis aptior*, *magis irritatior* vel M. 1. 20 *minimo minus*, VII. 474. X. 717. Ap. 346. Flor. IV. 90. DSr. 144 *multo tanto*, et, quod Terentianum est, *nil quidquam* M. IV. 251 etc. vel proverbialis dictio, Graecorum χθὲς καὶ πρώην respondens *nunc nuper* M. IX. 616; neque illa quidem: *diu diuque* M. V. 356, aut: *procul ac procul* VII. 448, aut *usque et usque* M. IX. 665 ad hanc quaestionem pertinent: quae omnia sunt singularia magis aut fortuita, quam ut ad universam quandam orationis proprietatem alicuius momenti esse possint. Haec igitur praetermittamus: ad illa vero acriter intende animum: **ergo igitur, quamquam etsi, illico statim, frustra nequicquam, tandem denique, adeo sic, quasi velut, tunc deinde, quippe etenim.** Deinde quas purior sermo raras tantum adhibuit, ad designanda gravissima et contraria et affirmationes, innumerabilibus locis immoderate leviterque frequentatae apparent particularum cumulationes. Quibus si quaeras, quatenus linguae species et quasi habitus ac natura immutetur quibusque de caussis hoc iis momentum adiudicandum sit: profecto, ut ver-

bis parceremus, ad ea, quae supra in voce paenissime disseruimus, reicere possemus. Verum praeterea quaedam monenda sunt. Omnibus linguis hoc commune est, ut, ubi degenerarint a nativa pristinaque castitate, fortibus ac saepe immodicis remediis amissae simplicitatis damnum studeant reparare. Quae quum in universum constent in vocabulis novis fingendis, desitis repetendis, solitis insolenter usurpandis, tum praecipue in exaggerandis atque exacuendis notionibus cernuntur, aut vocis ipsius gradatione (paenissime - postremissimus - tantillulus) aut eiusdem iteratione aut duarum similium geminatione. Huiusmodi arteficia partim suavia illectamenta habita sunt, partim acuta quasi orationis condimenta: inter haec praecipue referenda est etiam particularum immoderata lateque patens cumulatio. Florentis linguae scriptores simplici vocula ad affirmandum aut adseverandum contenti erant ad iteratasque non concurrebant, nisi ubi strenuam acremque desiderabant aut contentionem aut oppositionem: senescentis et iam depravatae auctores et affirmationem et adversationem adfectabant alacriores totamque sale quasi salsissimo orationem perspergebant. Ceterum nonnullae huiusmodi repetitiones non quaesitae esse, sed ex vulgaris sermonis proprietate iis abundante videntur manavisse. Quibus ante in universum monitis, iam singulas perlustremus. **Ergo igitur** veteribus comicis frequens formula est, Apuleio vero paene frequentior cf. M. I. 27. II. 133. 149. III. 208. IV. 238. V. 342. VII. 463. 473. 483. IX. 626. 636. 668. X. 682. 749, XI. 764. 799. 813. DPl. I. 193. 207. 211. 214. 217. IV. 257. Mund. 303. 317. 327. Sunt quidem similium particularum coniunctiones apud ceteros quoque scriptores eosque optimos non inauditae (ergo idcirco Cic. Rosc. Am. 39. ergo itaque Liv. I. 25 quare ergo Plin. Paneg. 31.): sed ita rarae sunt, ut cum hoc immodico usu non possint comparari. **Tandem denique** M. IV. 288. X. 703. III. 215. II. 124 vulgari sermoni tribuerim: etenim denique eodem sensu quo tandem usurpatum, (utrumque autem his excitatis modo locis non discerni potest), cuius admodum rara tantum exempla inveniuntur, idem vulgare dicitur esse (Plaut. Mil. IV. 2. 40). Sequantur Ap. 549 *tunc deinde*, M. IV. 241. *illico statim*. ib. VIII. 553 *frustra nequicquam*, quocum non conferri potest ut prorsus simile Catull 77. 1:

Rufe mihi *frustra ac nequicquam* credite amice.

Tum DSr. 106 *quasi velut*, rarius est; illud Ap. 561 *quam-*

quam etsi (Liv. XXI. 19.) non simplex geminatio est, sed accedit particulae quamquam peculiaris ratio, ita ut altera vox totam sententiam opponeret, altera novam condicionem iniceret. Superfluum deinde videtur „sic" hoc loco M. VII. 477. *Adeo ille praepotens tyrannus sic parcus hordei fuit ut* etc. Otiosae cumulationes videntur etiam hae: Ap. 546 *quippe etenim.* ib. 439. *Atqui ego contra.* ib. 415. 479 *interea dum.* M. IX. 635 *hactenus adhuc.* II. 123 *dehinc tunc demum.* Denique huc referendum est etiam, quod supra iam memoravimus: *en ecce,* demonstrantis atque acriter cohortantis vox, cuius repetitio recentissimis tantum scriptoribus placuit cf. M. 15. X. 696. XI. 783. VIII. 576.

Atque adhuc de geminatione disseruimus universa: de nonnullarum insolentius copulatarum particularum singulari usu infra videbimus. Iam enim ad singulas accedamus aliqua proprietate memorabiles: quae ex cunctarum tanto cumulo ordine si non stricto at certe quodammodo rationali sunt desumendae. Ac primum quidem de nonnullis quaeramus, quae adverbialis naturae suae gerunt manifestiorem speciem. **Magis** cum abundantia quadam comparativis additur M. I. 662. XI. 795; a quibus tamen saepius separandum est cum sui propria notione, ea fere, quae Graecorum μᾶλλον et potius designatur: M. II. 170 *ne praesentia quidem nostra conterriti, sed magis cum aemulatione virium crebrius insultantes.**) Atque in materia tam dissipata veniam petimus adnectendi huc quaedam de usu Apulei familiarissimo, quo plurimis locis omisit magis, ubi hanc particulam aut comparativi alicuius notionem sententia postulavit, ut Ap. 456 *officii gratia quam lucri caussa docebo.* Flor. III. 69 *ut utensilia emere velis quam rogare.* Mund. 308 *nimbus autem quanto repentinus tanto vehementior.* ib. 343 *quanto finitima sunt ei, tanto amplius.* DSr. 105 *quanto . . orationi modificabor, tanto a vobis in maius tolletur.* M. VIII. 520 *tanto fidentius, quanto crederet ferri vulnera similia futura prosectu dentium***). Compositione deinde rara formatum est **adaeque**, cuius notio non differt multum a simplici aeque. Qua

*) Haec notionis deflexio non ita difficilis frequentior apud Tertullianum occurrit cf. DPudic. 16. adv. Marc. IV. 19. V. 15. DAnim. 31. Res. Carn. 45: magis illud prius est" etc.

**) Tertullianus „magis" multo etiam frequentius omisit, nonnunquam cum audaci brevitate cf. D. Test. Anim. 2. Natt. I. 12. I. 17 II. 12. Uxor. II. 1: exisse vos .. quam introisse intellegemus."

voce Plautus solus usus est, sed semper ita, quod non forte factum videtur, ut negationis verbum nemo, nunquam, neque, adiungeret: quam deinde Apuleius recepit (praeterea Cod. Theod.), sed antiquum usum neglexit cf. M.X.679. VIII.590 *canis udaeque venaticus latenter invaserat* IV.251 *iuvenes . . . quos udaeque latrones arbitrabere.* **Plane** vario usurpavit modo, velut paullo insolentius dixit M.VII.483 *Et plane fuit quod . . stimularet*: quod fere idem est atque: profecto, revera fuit, cur etc. Non vulgatum est etiam hoc M.VII.497 *Nec uspiam ruris aperitur ille, sed plane corpus eius membratim laceratum . . conspicitur.* Ad rarissimam denique notionem eam, qua apud ICtos nonnunquam reperitur, quam nos optime vertimus vollends, accedunt haec M.XI.766. *Plane memineris* etc.: quae est adhortantis cuiusdam extrema atque gravissima monitio, vel M.VII.448, ubi in longiore serie indiciorum criminis extremum atque acerrimum argumentum adnectitur particula plane: *Nec exiguum scelerati monstrabatur indicium. Quippe . . praesidium fugae . . facile suppeditasse. Equum . . duxisse secum. Plane servum eius ibidem in hospitio repertum.* — De propinquae notionis voce **prorsus** nihil fere adnotandum est, nisi quod nimis quam frequentatur ad rem gravius affirmandam, ubi eiusmodi asseverationis necessitas reperitur nulla cf. M. II.99.106.126.164. III.175.185. V.328.363.377 *Illa mihi prorsus adhibenda est nec ulla alia.* VII.469. VIII.551 *quod tibi prorsus ab alio dici non licebit.* ib. 527 *prorsus in pectore.* IV.288 *remeant nullam quidem prorsus sarcinam vel omnino licet vilem laciniam ferentes:* ubi exspectares contrarium aliquid oppositum iri. Prorsus extremam enunciationum seriem (Flor.II.60: *Prorsus inquam, hoc erat primum sapientiae rudimentum*) determinat, ut fere: in summa. Illud ludicre dictum Apulei licentiae condonandum est M.V.348: *si parentum pulchritudini responderit, prorsus Cupido nascetur.* Denique nativae proxima notione, qua opponitur notioni: retro motum, ad tempus translatum est. DSr.123: *quos deos Plato exsistimat naturas incorporales, animales neque fine ullo neque exordio, sed prorsus et retro aeviternas.* Transeamus inde ad nonnullas particulas, quae temporis notionem habent. Levior sermonis ab antiqua severitate abalienati indiligentia notanda est in M.V.129 *etiam nunc* pro: etiam tum. **Dudum** (M.VI.413d. recurrunt) pro: paullo ante, modo, de tempore praesenti vel praesenti proximo recentissimi tantum scriptores dicere ausi sunt, comicos veteres vulgarem-

que consuetudinem secuti. **Interdum** Apuleius eiusque aequales ponunt pro: interim, interea (nam apud Tacitum fere semper est = per aliquod tempus) cf. M. II. 158. VIII. 538. IX. 631. **Olim** saepius „iam diu, iam dudum" significat, quod iam Tacito frequentius est cf. Ap. 501. M. II. 121. IV. 310. IX. 657. Aliter hoc adverbio, quo quodvis temporis genus designari potest, usus est M. IX. 603. *Olim, inepte, inquit descendit in dolium.* Denique recentiorum peculiari usu „non olim" dicitur fere = non multo ante M. X. 695 *me non olim convenerat.* XI. 784 *militiae, cuius non olim sacramento rogabaris.* **Diu** per se solum nullo „iam" adiecto non rei diuturnitatem indicat, sed longum esse temporis, ex quo aliquid factum sit M. VIII. 508 *sceleri quod diu cogitarat* (i. e. iam dudum), *accingitur.* **Denique** quod una cum tandem iam supra notavimus, etiam per se solum pluribus locis particulae tandem fere vices subiise videtur ut M. II. 152. *Denique sic ad illam.* III. 197 *timide denique sermone prolato* cf. IV. 257. 282. 288. V. 334. IX. 642. Ap. 549. Deinde totam, singulis rebus tractatis, seriem partesque omnes uno conspectu complectitur, velut Asc. 304, quod vertere possumus: ut paucis absolvam, ut uno verbo complectar. Accedit illa notio non minus ad vocis tandem similitudinem, quam haec M. III. 226: *Denique agnito salutari praesidio* qua fere est = postremo, quaque tunc ponitur, quum narratio rei alicuius per partes et ordine ad extremum tempus procedit. Est autem iam apud recentiores, in primis Suetonium, non rara. Creberrime deinde usurpatur in orationis procedentis et paene festinantis cursu, ubi non quod ultimum accidit, sed quod post alia deinceps evenit, indicat et saepe nihil aliud quam coniunctionis que vim habet copulativam: quae eius usurpatio, non quod nova sit, commemoratione digna videtur, sed quod abiit in consuetudinem Apulei cf. M. I. 18. 30. 43. 59. 60. II. 99. 170. 163. III. 183. 195. 210. 211. 231. IV. 255. 257. 293. V. 329. VII. 450. VIII. 510. 557 etc.: *Unus denique.* ibid. *Iam denique.* ibid. *Aliquanto denique* etc. Atque quum ita declarando narrationis rerumque nexui inserviat, tum etiam ponitur, ubi alia res alii proxime iniungitur, velut post participium perfecti sententiam iterum quasi repraesentat: M. III. 226 *Omnibus abiectis amiculis hactenus denique intecti bacchamur in Venerem* vel ubi alia res ex alia provenit M. III. 210 *Iam denique nec larem requiro.* ib. 220 *Diu denique ac multum deliberavi mecum.* cf. M. VIII. 510. Ceterum *iam denique* coniunctio est unica M. III. 210. — **Usque** secundum

poeticum usum pro semper, continuo dixit M. VII. 480 *ut usque mihi insideret . . dolor.* Semel coniunctum est usque dum Ap. 563 *Sustine paullisper quae sequuntur, usque dum ego interloquar.* Inusitatius est etiam, quod ibidem legitur *usque adhuc.* Deinde loci ratione cum praepositione per conexum Asc. 310: *morbis usque per diversa loca dispersis* rarissimum est, quamquam cum aliis (a, ad, sub) frequentissime copulatur. Compositum *adusque,* quod non prius usurpatur quam ab Augustei aevi poetis (Hor. Verg. Ov.) indeque a posterioris aetatis scriptoribus (Gell. Amm.) vario modo posuit et ad praepositionis instar cf. M. IV. 272. VIII. 552. IX. 630. XI. 733 *adusque confinium-coelum-cubiculum-vestigia.* X. 707 *adusque intestinorum* et translato sensu M. IV. 240 *me totum plagis obtundit adusque vitae ipsius periculum* et absolute M. II. 159 *adusque deraso capite* (cf. Tert. Virg. Vel. cp. 3). — Iam ceteras pertractemus particulas ex iisque primum compositas nonnullas, relictis adhuc et copulativis et adversativis, quas reservamus extremas. **Fortassean** vox ratione antiqua cum forsitan conveniens (Sisenna. Varro.) legitur DSr. 130. Ap. 475: omnium familiarissima est Gellio cf. N. A. V. 14. XI. 9. XIX. 8. Semel occurrit etiam prorsus casca formula Ap. 583 *fors fuat an* recentissimis scriptoribus (Fronto. Auson. Symm.) non inusitata. Antiqua terminatio *fortassis* M. V. 368 praeter Plautum aliis etiam in usu est (Hor. Plin.) Particularum **scilicet** et **videlicet** nisi quod per ironiam, qua delectatus est Apuleius, saepius positae sunt, ante omnia illam usurpationem ne praetermittamus, qua explicandi gratia cum leviore notionis vi ut nostra: natürlich, nämlich, wohl, adduntur. Qui usus quum prae ceteris familiaris sit recentioribus rerum scriptoribus (Suet.) tum apud Apuleium nimia frequentia fit memorabilis neque raro vulgaris ac remissi sermonis ostendit laxam quandam neglegentiam. Paucis locis in eam inquirere satis erit M. IV. 241: *mulier quaepiam uxor eius scilicet . . prosilit, ut sui videlicet miseratione mihi praesens crearet exitium.* ib. 264 *maluit singula rerum . . forinsecus nobis scilicet rapienda dispergere. Cumque . . vestem stragulam subductam scilicet iactare similiter destinaret.* ib. 265 *verens scilicet.* ib. 285 *strepitu scilicet divinitus inquietus.* ib. 289 *parabunt scilicet idoneam sui sanguinis redemptionem.* V. 366 *in honorem dei scilicet.* ib. 369 *Meministi scilicet.* ibid. *casu scilicet pessumo.* VIII. 577 *rati scilicet . . maritum illum scilicet sibi perduxisse . . tam bellum scilicet pullulum* etc. — **Nedum** quod cum suo verbo a poetis

tantum coniungitur, Apuleius auxit addito „ut“ M. V. 341. IX. 669 *nedum ut rebus amplioribus idoneus videatur gerulus.* **Vel** nonnullis locis non ut vulgo ad amplificandam dilatandamque sed ad minuendam atque circumscribendam notionem adhibitum est, non nostro auch sogar, sed auch nur vertendum M. VI. 408 *vel fando comperisti.* VIII. 510 *quo vel clandestinis colloquiis opportunum reperiret locum.* X. 769 *quem tibi quoque provenisse cuperes vel talem.* Ceterum non inficiandum est, hanc ipsam quoque esse significationis intentionem. — Prorsus singulari modo coniunxit **vel enim**, quod quatenus a simplici „vel“ differat, nequeo dicere cf. DSr. 140 *utrimque seiugatu vel enim utrimque commixta sint.* Ap. 576 *mater futura nubat . . in segete adulta vel enim sub ulmo marita cubet.* **Etiam** augendi vi non rara quidem sed insolentiore propter brevitatem orationis usurpatum est quasi „vel“ M. VII. 459 *Tantum potest nutus etiam magni principis.* In speciem affirmationis, qua hoc vocabulo indicatur rem vere fieri, dictum est M. VIII. 591 *destinatae etiam lanienae cultros acuebat* omnibus quidem illud, quae ex Terentio, Vergilio, Curtio excitantur exempla, durius. Denique in formula *non solum - verum etiam* elegantius interdum omissum est „etiam“ cf. M. I. 47. IV. 244. Asc. 285.

Verum huiusmodi singulas particulas conquirere possemus plures, in quibus aliquae vel levissima observaretur usurpationis proprietas: tamen, ne nimis diffinderetur quaestio periculum erat, neve fructus inde perceptus operae collatae ullo modo foret congruens. Iam igitur proximum erit, ut ad adversativas causalesque particulas convertamur. **At** quum secundum naturam suam usumque locum habeat in responsionibus colloquentium, creberrime in primo metamorphoseon libro sermocinationibus referto invenitur. Verum non in vicibus sermonis solum frequens est, sed etiam in oratione brevium narrationum cursu citata: unde fit, ut si quae enunciatio per hanc particulam incipiat (incipit autem saepissime), neque semper aliquid intellegendum sit, quod reiciatur praemissum, neque exprimatur semper animi commoti impetus. Atque huius frequentibus et alacribus vividisque oppositionibus incitatae dictionis species, qualis primis metamorphoseon libris percipitur, mihi quidem semper visa est quandam vulgaris loquendi moris habere similitudinem. Ex primo libro exempli gratia conferas haec: M. I. 17.23 (bis) 24. 29 (bis) 30. 37. 42, 46 (bis.) 47. 50. 53. 57 (bis.) 59. 63. 79. 99; deinde in simplici quodammodo narratione

de Psyche fabulae VI. 415. 405. V. 359. 360. 364. 371 etc. Tum „at“ in apodosi, ubi eius locus est nullus, positum est M. V. 371 *Interim dum Psyche quaesitioni Cupidinis intenta populos circumibat, at ille . . ingemebat.* Inveniuntur autem alia quoque huiusmodi exempla (Liv. III. 57. Plaut.): quorum ratio semper coercita est ita, ut non contrariam quidem rem perstare indicet at, sed personam in se habeat ex altera parte alicui personae oppositam. Quare cum pronominibus ego tu ille (ut supra V. 371) coniunctum esse solet ad eaque proprie pertinet, ut Ap. 503 *Quodsi hic nescit, quid dixerit, aut nomina oblitus est, at tu Aemilianae cede huc* etc. Cum oppositione admodum intenta atque exacuta notioni „immo, contra“ proximum est M. VII. 499 *impune se laturum scelus credit, at utcunque se praesumit innocentem.* Denique at deprecantis est, ut apud poetas (Verg. Aen. II. 535.) cf. M. III. 217 *At mihi scelus istud depellant coelites.* **Autem** notandum est primum in coniunctione, quae ab optimis scriptoribus respuitur *neque autem* Flor. I. 31. Deinde in huiusmodi enunciatis memorabile est M. X. 750: *Cenchreas pervado, quod oppidum audit quidem nobilissimae coloniae Corinthiensium, adluitur* **autem** *Aegaeo mari.* Desideramus hic id, quod sensus tam strictam oppositionem requirere possit: neque est etiam omnino antithesis, sed coniunctio tantum Graecorum μὲν-δέ simillima. Nam oppositiones uti Apuleium augere et in maius intendere vidimus similium aut geminatione aut earundem repetitione, sic conquirere etiam atque adsciscere, ubi sentiantur aut desiderentur nullae, plurifariam animadverti potest. In quo patefit eadem eius indoles, quae ubique quum verborum illecebris variis tum sensus de industria affectatis condimentis delectatur. Atque obiciendi inter se singula in abusum atque otiose studium particularumque adversativarum abundans atque etiam supervacaneà usurpatio nulla re manifestius meliusve percipitur, quam immodica *quidem-vero* (verum sed) oppositione. Quid enim in his contrario opus erat M. VI. 444: *de asino isto semper pigro quidem, sed manducone summo, nunc etiam mendaci.* VII. 482 *nullum quidem defessa mihi ferebat auxilium, sed . . totum me compilabat.* VIII. 527 *vultu quidem hilaro, verum paullo sereniore.* ib. 489 *intestina quidem canibus nostris iacta, ceteram vero carnem coenae reservo.* Omnibus his locis non tam separandis separatimque inter se opponendis quam copulandis potius enunciati partibus inservit „quidem-verum“, evanescente vel mitigata accuratae

adversationis acriore vi, similiter atque Graecum illud μὲν-δε. Ex multis, quae ipsa quoque huc pertinent exempla, confer praeterea M. III. 198. 211. 213. IV. 251. 300. V. 321. 337. 364. 372. VI. 411. VII. 479. 488. VIII. 518. 520. 521. IX. 637. 652. In his nonnulla sunt, in quibus, qui sincerius locuti sunt, insigni verborum positura fuissent contenti, ut V. 337. *Et nos quidem . . extorres lare et ipsa patria degamus, haec autem . . tantis opibus et adeo marito potita sit?* Denique neglegentior et prope illegitima particulae quidem collocatio notanda est Ap. 394 *Nam quidem feris.* M. X. 709: *Et primum me quidem mensam accumbere, dein adluctare . . perdocuit.* — **Sed** est corrigentis orationem, ita ut in maiora evehat, quomodo Martialis usurpare amat, velut M. VII. 469 *cuncti denique sed prorsus omnes.* X. 720 *totum me sed prorsus totum recepit;* etiam illud M. V. 342 *lares pauperes sed plane sobrios* potest eodem modo explicari, quandoquidem pauperis appositum nihil habet probri, quod opus fuit excusari. Ad vim adversativam strictius exprimendam coniunxit *sed enim,* idque non in enunciatione ineunte posuit sed in media Ap. 450 *Ecquandone vidisti flammam . . largo fulgore, cito incremento, sed enim materia levi, caduco incendio*: ubi bono scriptori, si particulae usus visus esset necessarius, solum „sed" fuisset satis. Similiter M. III. 180 dixit *sed tamen,* ubi tam acri adversatione non opus est. — Insolentius ut „sic, tum, at" etiam **vero** in apodosi occurrit, quo invertitur quasi orationis consecutio: Ap. 453 *Verum haec ferme communi quodam errore imperitorum philosophis obiectantur, ut partim eorum . . aiant deos abnuere, partim autem, qui . . impensius deos celebrant, eos* **vero** *vulgo magos nominent.* Illud Ap. 390 *si verum est . . innocentiam eloquentiam esse, ego vero profiteor* etc. intelligendum potius est nativa particulae significatione. Atque, quod supra diximus, particularum commulatione affectari acriorem et affirmationem et oppositionem, maxime in usu immodico compositarum particularum „verum enimvero" „enimvero" cernitur. **Enimvero** asseverantis est, vulgo enunciationis primo, rarius secundo loco positum (Flor. I. 8 *Aquila enimvero* ib. III. 60 *loquaciores enimvero)* cf. M. IV. 283. V. 320. Ap. 385. 420. 452. 464. 541. Flor. I. 8. 30. 36. II. 40. 43. 48. 50. III. 66. 82. 89. DSr. 110. 142. 159. 169. Rarissima, et, ut video, adhuc inter homines doctos controversa ratione etiam adversandi vim induit M. IV. 263 *Et ille quidem . . vitae terminum posuit. Enimvero Alcimum sollertibus coeptis tam saevus fortunae nutus non potuit abducere.* ib. V. 340 *Et tu quidem . . Enim-*

vero ego: ubi ex sententiarum nexu exspectaremus „sed, at"*). Sed Ap. 446 *Enimvero animo hominis* etc. (ad explanandam totius loci rationem nexumque nimis longam enunciationum seriem transcribere opus fuit) manifesta neque nullo modo deneganda est notio adversativa. Huius est ea ratio similis, qua in gradatione ponitur extremum, ut Ap. 452 *Sicarium qui in iudicium vocat, comitatus venit* etc. *Enimvero qui magum . . in discrimen capitis deducit, quibus comitibus . . perniciem prohibeat.* **Verum enimvero** in oppositionibus natura sui non ita gravibus his nota Ap. 498. 541. Mund. 332 M. II. 101: *a nexu quidem venerio hospitis tuae tempera . . verum enimvero Fotis famula petatur enixe.* Nullam tamen particulam sive particularum coniunctionem magis amavit aut frequentavit quam **immo, immovero, immo enimvero.** Neque etiam aliam reperias aptiorem ingenio eius atque orationi: in qua quum ubique affectaret ad taedium usque copiosam ubertatem, raro vel potius nunquam unius rei uno nomine vel simplici descriptione contentus, sensuumque captaret insolentem atque subtilem superlationem, opportunissimam et verba cumulandi et notiones exaggerandi ansam ei praebuit „immo vero." Ex innumerabilium fere exemplorum tanta multitudine haec desumamus varia. Primum igitur **immo** nulla alia particula addita, non quae modo pronunciata sunt, reicit, sed maiora substituit M. I. 38. 50. 49 *vocem immo stridorem.* II. 114 *Pereo inquam, immo iam dudum perii.* ib. 175 *ad terram, immo ad ipsos inferos.* 188 *augetur immo duplicatur moestitia.* V. 328. 374. 319 *mirus prorsus homo, immo semideus* cf. IX. 594. VI. 391. 449. VII. 464. 489. 480 *facto foramine immo fovea vel etiam fenestra.* Deinde eadem notione sed multo frequentius legitur **immo vero** cf. M. I. 43. 44. 47 (bis). 50. II. 83. 90. 114. 119. 140. 144. 145. 121 *tam diram immo vero Ulixeam peregrinationem.* M. III. 197. IV. 293. 246 *mortuo immo vero lapideo asino.* V. 342. 374. 328. VIII. 527. 585. VII. 453. 482. IX. 595. 596 etc. Nonnunquam duplici progressione sensum adauxit, velut M. I. 47 *sero, immo statim, immo vero iam nunc.* X. 746 *vilissima capita, immo forensia pecora, immo vero togati vulturii.* Eadem qua „immo vero" significatione, bis

*) Illud Flor. II. 48 „Enimvero Hipparche condicionem accipit" fortasse quis per asseverationis speciem accipi maluerit, quae in respondendo locum habet apud Plautum: verum nostro loco non aperta est interrogatio, sed sumenda demum ex verbis antecedentibus: „proinde consuleret" etc.

legitur *vel immo*, quod multo rarius componitur cf. M. XI. 757. 798 *tam perditae mentis vel immo destinatae mortis*. Denique cum graviore affirmatione eademque acriore orationis correctione usus est longiore ambitu **immo enimvero** cf. Ap. 597. Flor. I. 6. 16. III. 69 *duplam ergo gratiam vobis debeo, immo enimvero multiiugam*. Idem in interrogatione vehementer asseverantis est Flor. III. 74: *Quid igitur superest ad laudis meae cumulum? Immo enimvero quid superest?:* ubi tamen ad sustinendam vim adversativam in priore aut altera enunciati parte necessario requiritur negatio. Tota autem haec particularum copulatio ex comicorum veterum consuetudine desumpta est: qui etiam soli composuerunt *immo etiamsi* Ap. 562. (Plaut. Epid. III. 4. 81. Mil. IV. 2. 23).

Postremo notanda est nonnullarum particularum collocatio a recto usu aliena: velut *itaque* solitus prope est secundo (M. I. 26. 52. 90. III. 192. 200. XI. 792) neque raro tertio etiam loco ponere M. I. 54. VII. 465. XI. 816; etiam pluribus vocabulis interpositis remotum est M. II. 101: *Quod bonum felix et faustum itaque.* Dein enunciationis initium obtinent: *igitur* DSr. 126, *enim* M. IV. 255. Flor. I. 34. 38. IV. 99.: quod Quintilianus inst. I. 5. 39 inter transmutationes refert, quibus ordo turbetur. Saepius etiam tertio loco collocatur *enim* M. III. 218. V. 341. VII. 447. X. 693. vel etiam quarto Asc. 290. *Etenim*, quod ut proponatur flagitat ipsa particulae vis, ut alii quoque posterioris aevi scriptores postposuit M. VI. 436. Ap. 464. 518. Asc. 291. 323 *Nec ira etenim.* Insolentius *quapropter* secundum locum servat DPl. II. 220. 226. Mund. 297. Denique non praetermittamus *quippe* sexto demum loco positum Flor. IV. 87.

Restat, ut de copulativis particulis **et**, **at**, **neque** pauca verba faciamus. — In primis metamorphoseon libris **et** mirum quam crebro singulas enunciationes nectit, unde efficitur orationis remissae quoddammodo ac festinantis species, praesertim quum ibidem *at*, ut supra memoravimus, frequentissime sententias opponit atque incipit. Si rationem quaeras, ex qua tantopere frequentatum sit: aut in colloquiis (quibus referti sunt illi libri) sermonem excipit cum quadam conclusione, aut nexum ipsarum rerum gestarum indicat quaeque proxime vel statim evenerint' demonstrat, aut omnino orationi adicit aculeum. Inde, quod rem ex altera proxime provenientem vel subito oculis subiectam designat, fluxerunt haec: *Et cum*

dicto sexenties repetitum cf. M.I.30.57.68.69.70. II.95.114.124. 143.159. III.187.199. VI.421. VII.501.560. IX.605. X.720 huiusque similia M.V.365 *Et cum termino sermonis in altum se proripuit.* VI.394 *Et simul dicens libellum ei porrigit.* II.80 *Et dictum iureiurando secutus.* III.203 *Et verbum facto secutus.* Deinde ita coniunguntur saepius: *Et illico* M.V.325. VI.383. VII.465. X.724. XI.811. *Et statim* I.35. II.87.154. *Et ecce* I.21.56.58.72.79 II.84. III.194. IV.283.287. VI.397.421.443. VII.493. IX.610.620.673. X.696. XI.778.814. *Et heus* I.53. IX.657. X.708. Ceterum *et ecce* practer recentiores etiam apud antiquos invenitur cf. Varro ap. Non. II. 138. Quibuscum aptissime comparatur mos Apulei in conectendis sententiis memorabilis. Quando enim aliquid fit aut evenit ita, ut cum priore, quod proxime praecedat, artissime cohaereat et aliqua ex parte iam una cum eo, factum esse dicatur, solitus est usurpare et, etiam ubi in puriore sermone „quum" usitatior erat. Velut dixit M.I.52 *Haec identidem replicabam et nox ibat in diem.* ib.58 *Aliquantum processeramus et iam iubaris omnia collustrantur.* ib.X.715. *Iam denique decesseramus.. et iam dudum praestolantem.. offendimus.* Deinde fere semper scripsit: **commodum-et** cf. M. I.44 *Commodum quieveram et repente* etc. II.127. IV.251 *Commodum cubuerant et ecce* etc. M.I.50 *commodum limen evaserant et fores . . resurgunt.* II.155 *Commodum meridies accesserat et mittit mihi Byrrhaena xeniola.* III.172 *Commodum Aurora .. caelum inequitabat . . et me nox diei reddidit.* Tum similia alia M. XI. 765 *Necdum satis connipseram et ecce* etc. ib. I. 62. *Necdum satis extremiis labris summum aquae rorem tetigerat et . . vulnus dehiscit.* VIII. 518 *Nec diu et eum furens aper invadit**). M. VIII. 557. *Vix haec dicta et statim.* X. 690. *Vixdum . . et statim* etc. M. II. 146 *Vix finieram et illico me conducit* etc. Iam praeter haec ad certas classes referenda exempla multa afferri possunt plura, in quibus insignite ab initio positum est, ut I. 53 *Et praeterea.* ib. 43 *Et quoniam.* ib. 40. 18. 20. 35. 57. 58. 63. 66. 67. 71. II. 81. 87. 130. 135. 140. 151. 164. 165. 167. III. 203. 263. V. 337. 340. 342. VI. 383. 442 etc. similiterque *atque* III. 192. 193. 220. 221. 223 etc. Atque haec omnia si tam frequentia occurrunt, quam apud Apuleium, orationi proprium inducunt

*) Sed dixit quoque M.IV.291 „nec diu, quum repente" etc. In quo hoc notari potest satis memorabile, quod semper coniunxit: „nec mora, quum" cf. M.II.152. III.174.175.228. IV.258.281.288. V.329. VI.416.424. XI.767.

colorem speciemque praebent tum festinantis, tum etiam laxae dictionis: quae mihi visa est nonnunquam accedere ad vulgi tum vividam atque celerem percipiendi loquendique alacritatem tum liberiorem neglegentiam. Velut, ut ex tam multis exemplis transcribamus unum, hoc considera: M. II. 167 *Bene, inquam, et fiet ut iubes. Et vellem hercules materiam reperire aliquam* etc. — Tum „et" pro „et quidem", quod ante dictis adicit alia complementi caussa, ne a Ciceronis quidem usu semotum est, sed tamen non ita in propatulo est tamque conspicua illa accessionis alicuius notio, ut M. V. 335 *esse iuvenem quendam et speciosum.* VII. 450 *bestia et extremae sortis quadripes.* I. 71 *generosa stirpe et recte coniicerem.* IV. 283 *certatim gladios et iam de proximo ingerunt.* cf. M. II. 131. VIII. 571. IX. 648. X. 704. Et pro „etiam" usitatius est cf. M. I. 71 *Sed et meus Demeas.* Flor. I. 32. *Et Hippias.* M. X. 682 *nisi quod et flebat* cf. ib. 673. 715. VII. 481: *exiguum scilicet et illud tantae molis superpondium.**) *Et etiam* M. X. 684. 709 rarius copulatur. — Peculiari deinde notione eaque significantiore, quae tamen ex sensu totius enunciati facile intelligitur, dictum est M. X. 740 *Si sibi* (sc. Veneri) *praemium decoris addixisset, et sese regnum totius Asiae tributuram,* i. e. sese vicissim, quod additur M. III. 208: *At sic lepido sermone et invicem cavillatus.* Denique in formula *et-et* alterum interdum insolentius transponitur, ut M. X. 738 *nam et caput stringebat diadema . . ferebat et sceptrum.* Restat disiunctivum **neque**, quod saepenumero eadem notione positum est qua *ne-quidem* cf. M III. 180. 192. 185. 209. IV. 245. V. 325. 329. 337. 346. VIII. 553. 546: *tanto facinori nec gladium sufficere.* IX. 629 *aureos, quae nec aereos norat***). Deinde „neque" in adhortationibus legitur, ubi exspectares neve cf. M. V. 328. 345. VI. 402. 417: *Nec tu tamen adflectare!* Denique parum apte pronunciatum videtur hoc M. III. 182: *At illi . .* **neque** *fugam capessunt* **et** *cum me viderent tamen audaciter resistunt* vel hoc M. III. 178 **Neque** *parva res est* **ac** *praecipue pacem civitatis cunctae respiciens* **et** *exemplo serio profutura tractatur.*

*) Illud M. VII. 455 „patre Therone atque latrone inclyto prognatus", quod Hildebrandius recepit et in hunc modum interpretatus est, tamen nimia brevitate atque audacia offensioni iamque a Lipsio emendatum est „aeque".

**) Pro ne-quidem etiam simplex ne locum habet cf. M. V. 341. III. 184. 192: „Ac ne istud, quod vehementer ingemiscis, contumeliae caussa perpessus es".

Atque his fere summam de singularum particularum usu dedimus adumbratam magis, quam ab omni parte absolutam. Restat gravissimum **praepositionum** genus. Multum ac saepe in usurpatione earum a solita scribendi norma recessit Apuleius. Verum hoc ante monuerim, complures licentias, quas in quaque separatas afferam, non praepositionis detortas pravasque rationes ducendas eique quasi vitio tribuendas esse, sed ex sentiendi imaginandique celeritate atque audacia et ex toto dicendi tenore ab antiqua simplicitate deflexo perversoque ortas toti orationi ita immutatae atque illi innatae scriptoris indoli esse dandas. De singulis autem ita disseram, ut primum aggrediar ea, quae quartum casum, deinde ea, quae ablativum desiderant.

Ad legitime sed brevius dictum est Ap. 468 *nihil tam innoxium quin possit ad tristitudinem intelligi.* ib. 510 *minus spei ad sanitatem relinquunt.* M. I. 28 *paene alius lurore ad miseram maciem deformatus*: quod aliter est atque insolentius quam M. XI. 784 *reformavit ad homines.* Quamquam pro „usque ad" ne melioribus quidem scriptoribus inusitatum est, tamen hi conferantur loci memoratione digni M. IX. 661 *ad extremam vesaniam vecors.* ib. 658 *ad extremum stuporem deiecerant animos.* VIII. 588 *paene ad extremam confecerant mortem.* ib. 539 *facile sepelivit ad somnum;* deinde temporali sensu Ap. 524 *tam diu ad adventum Crassi manserunt.* ib. 518 *ad hoc aevi* (Symm.) Alteram, recentiorum tantum (Iustin. Flor.) propriam temporalem notionem habet *ad tempus* quod non, ut apud Ciceronem, significat id, quod tempus postulat sive temporis fert conditio, sed quod hoc ipso tempore aut ad praesens fit, ut Ap. 517 *Nec hoc ad tempus compono, sed abhinc fere triennium est, quum . . eadem ista prae me tuli.* Levioribus omissis exemplis, in quibus simplicis fere casus vicibus fungitur (Mund. 352 *remissione ad motum data.* Ap. 446 *quid ex istis addi vel minui ad virtutem vel malitiam potest?*) illud ad notamus, quod Graecorum κατὰ respondens adiectivis iungit nomina, quae eorum notionem adstringant atque constituant Flor. IV. 102 . . *honestus ad contemplationem.* DSr. 173 *ut sit ad speciem honestus, ad cursuram vegetus.* M. I. 43 *civitatem . . ad aquas sterilem* (cf. DPl. II. 236 *quid pauperies ad divitias intersit.*) — Tum persaepe indicat aliquid alicui rei destinatum esse aut alicui consilio inservire aut ad aliquam rem efficiendam institutum esse, velut II. 146 *cadaverum praesegmina ad exitiabiles viventium fortunas petuntur.* ib. 161 *ad ultionis so-*

latium exiguum vitae spatium deprecamur. IV. 278 *capulos . . ad futurae praedae receptacula reservamus.* VIII. 509 *ad honorem prosapiae* etc. permulta alia: nam iam apud melioris notae scriptores ita breviter, ut verbi additamentum requiramus, ad consili finisque, cui quis studeat, rationes designandas adhibetur. — Deinde usurpatur de eo, quod fit re aliqua adspecta vel audita vel alio modo conspicua, ut M. II. 165 *ad suum nomen ignarus exsurgit* (i. e. ad sui nominis appellationem): quo retulerim etiam hoc M. VIII. 541 *Relictis somnolentis tenebris ad alium poenalem evigila caliginem.* Insolentius difficiliusque ad explanandum est Ap. 540 *sexagesimo anno aetatis ad libidinem nupsisse* i. e. fere ad libidinem explendam, propter libidinem: quocum conferre iuvat locum Livianum, omnium, quos inspexi, huius simillimum XXXVI. 13: quum boves quaedam ad desiderium, ut fit, relictarum mugissent. — Rarius deinde est Flor. III. 64 *ut mihi ad vos venit usus* quod fere intelligi potest „apud vos.“ Locutio non infrequens est *ad postremum* = tandem M. VII. 481. IX. 629. Denique mirificam vocem, quamvis praepositio non sit, hic interponamus, ab uno Apuleio usurpatam idque semel tantum Ap. 541: *e ad.*

Apud pro ad, ut M. IX. 613 *cantharoque et ipso simulacro . . apud fani donarium redditis,* usus est recentiorum scriptorum, qui inprimis saepius apparet in certis quibusdam dictionibus velut Suet. Aug. 3. apud aram. Dom 9. apud aerarium. Tum ex ea formula, qua τῷ apud auctor alicuius libri aut dicti nominatur, inaudita ratione desumptum est M. VII. 477 *Sic apud historiam de rege Thracio legeram.* Etiam illud translata notione usurpatum M. XI. 810 *apud meum sensum disputo* paullo diversum est a solito more, quo semper „apud animum suum statuere, proponere“ sed nihil aliud simile coniungitur. Denique his duobus locis notes apud, ubi ablativum loci et temporis praetulissent purioris sermonis sectatores M. I. 74 *condiscipulus apud Athenas Atticas meus* et Ap. 434 *Paupertas inquam, prisca apud secula omnium civitatum conditrix.* — **Ante** cum superlativis rarius coniungitur, ut M. IX. 620 *ante cunctas mulieres longe deterrimam.* (cf. Flor. III. 73 *longe ante ceteros excellens*): abundantia est, iam poetis Augusti aetatis non inusitata cf. Verg. Aen. I. 347. VII. 55. — **Circa** a plerisque argenteae quam dicunt latinitatis scriptoribus (Plin. Suet. Quint. Tac.) usurpatum significatione τοῦ κατά, ut respectum alicuius rei atque rationem indicet, Apuleio quoque frequentissimum est, saepis-

sime una cum adiectivis, quae animi cogitationem ad aliquam rem relatam et actionem, in qua quis versatur, significant velut M. X. 728 *circa salutem sollicitus.* Ap. 546 *facit omnia circa honorem meum observanter, circa salutem sollicite, circa amorem callide;* cum substantivis coniunctum est M. VI. 396 *labores circa tuas inquisitiones.* Ap. 596 *liberalitas circa me.* ib. 594 *mirantur, Aemiliane, tam repentinam circa puerum istum pietatem tuam.* Denique subiciatur hic adverbium *circumcirca* M. XI. 758. Plaut. Cic. fam. 4. 5. 8: quod usu vulgi videtur proditum fuisse. Nam id iam ex illius *praeterpropter* similitudine collegerim, quod tradit Gellius N. A. XIX. 10. 9. „fuisse nimis plebeium et in opificum sermonibus . . notius". **Erga** de loco ac regione, quae est versus aliquam rem, dictum est DPl. I. 208 *erga regiam capitis constituta*: quae notio iam antiquo tempore videtur obsolevisse, neque unus Plauti locus Truc. II. 4. 51 satis certus est. — **Inter** M. VI. 387: *iter porrigens inter subsitae convallis sublucidum lucum prospicit fanum* etc. antiquo more pro „in" explicandum est, quem extremae latinitatis scriptores imitati sunt (Iustin). **Insuper** ad instar praepositionis a poetis cum ablativo, rarius cum accusativo coniungitur, ut M. XI. 788: *insuper fluctus libant intritum.* VIII. 518 *iaculum . . insuper dorsum bestiae contorsit.* (Cato. Vitruv.). Item **iuxtim**, quod vulgo adverbi partes agit (Flor. I. 30 etc. iuxtim considere) casum habet M. II. 121 *iuxtim se ut adsideret*: quae licentia ipsa quoque antiquorum nititur auctoritate (Sisenn). Inauditum vero est **retro**, quod cum quarto casu (M. VI. 395 *retro metas Murtias*) praeter hunc locum non invenitur nisi apud posteriores tantum Apuleio scriptores. — Communis cum recentiorum compluribus (Iustin. Solin. Dig.) ei illa est **iuxta** notio, qua fere praepositionis secundum vices explet: quae ex vocis propria vi facile deducitur DPl. II. 259 *iuxta naturam praesentium rerum . . debeat facere civitatem plenam.* — **Ob** prima ac nativa loci significatione, qua designat id, quod obstat alicui rei, ubi tum quasi ante, tum pro supra fere accipiendum est, saepenumero legitur, velut M. VI. 408 *ob os puellae praevolans.* XI. 779 *ob os exhibuit coronam.* V. 319 *pecudibus occurentibus ob os introeuntium.* II. 161 *herbulam quampiam ob os corporis . . imponit.* ib. 168 *digitis pedum detunsis ob lapides.* VIII. 550 *ob iter illud iacere . . hominum corpora.* Atque haec loci notio praeter poëtas veteres (Enn. Plaut.) etiam recentioribus (Verg.) usitata, sed non ita frequens est. — Praepositionis **penes**, quae apud optimos scrip-

tores familiaris consuetudineque stabilita est usurpatio non negligitur tantum ab Apuleio sed paene invertitur. Quaecunque enim grammatici de vi eius proferunt ac de ratione ab „apud" diversa, ut Festus, Paulus Diaconus: „apud et penes in hoc differunt, quod alterum personam cum loco significat, alterum personam et dominium et potestatem": apud Apuleium ea differentia evanuit ita, ut complures loci non internam quasi sedem ac possessionem vulgo ei attributam sed externam vicinitatem manifestam indicent. Huc referendum est Flor. IV. 86 *qui penes extrarios saepenumero promptissime disceptavi, idem nunc penes meos haesito.* ib. 87 *penes iudices vicisset* (ubi paene solemnis est formula: apud iudices). ib. 98 *Carthagini, ubi tota civitas eruditissimi estis, penes quos omnem disciplinam pueri discunt, iuvenes ostentant, senes docent.* *). **Per** in propter locum successit, ita ut caussam in animo sitam significaret, ex qua actio prodiret, in his maxime formulis M. V. 339 *per hoc.* Ap. 471 *per haec*: utraque aliis quoque posterioris aetatis scriptoribus quasi „propterea" usitata. — Deinde cum breviloquentiae facilis quadam specie dixit M. II. 162 *post Lethaea pocula iam Stygiis paludibus innatantem* **). Insolenti sed a vocis origine non remota ratione positum est M. I. 33 **secundum** *quaestum Macedonia profectus:* quod non perperam verteris: secutus quaestum, sive, ut quaestus fert ***). **Prae** cum quarto casu coniunctum M. VII. 486 *prae cetera flagitia,* quod complures codices praebent, editores ferendum esse negaverunt: atqui Petron. cp. 54. ita legitur, ab homine quidem usurpatum sermonis barbarie ridiculo.

Restat extremae, quae accusativum desiderat, praeposi-

*) Latius atque immodestius, quam apud Apuleium, qui penes ita plerumque cum pronominibus coniunxit, is usus increbruit apud Tertullianum, qui penes de qualibet loci ratione posuit cf. Apol. 9. penes Africam. DPaenit. 4 penes aquas. DPall. 2. penes aures Midae blattit. DCarn. Chr. 20. Praesc. Haer. 80.

**) Quam non attulerim, nisi in huiusmodi similibus plurimum sibi licentiae sumpserit Tertullianus. Apud quem confer haec Scorp. 11. „post cespitem" (sc. postquam cespitem egerat.) Pudic. 18. „post fidem" (sc. acceptam) adv. Prax. 15 „post carmen visibilis" (i. e. postquam carnem induit.) adv. Marc IV. 21 „non caro habitus ante formam, non pecus dictus post figuram" (sc. antequam formam nactus est), praeterea alia multa brevitatis audacia similia cf. adv. Marc. V. 8. adv. Prax. 25. Apol. 2. 25. 39. Natt. I. 4. II. 12. 17.

***) Cum hoc loco aptissime congruit illud Frontonis p. 223 ed. Rom.: Arion Corintho secundum quaestum profectus.

tionis in tractatio: ex cuius multifariam a recta solitaque dicendi norma abhorrentibus vel certe rarioribus rationibus colligamus has insigniores, orsi ab iis, quae ad propriam indicandi motus notionem multiplicemque inde derivatum usum revocandae sunt. Ac primum quidem illud DPl. I. 191 *in multos eam enuntiari non posse* satis memorabile est: quo vertit Platonis verba, quae ibidem insequuntur, εἰς πολλοὺς ἐκφέρειν ἀδυνατόν*). Magis etiam mirum est hoc M. III. 191 *paullisper cohibitus risus libere iam exarsit in plebem.* Deinde legitima quidem sed tamen insolentiora sunt haec, in quibus nonnunquam sincerior sermo pro praepositione adhibuit simplicem casum: M. VI. 423 *levis amator in pinnas se dedit.* ib. IV. 236 *in pratum proximum . . pastui tradidere nos.* DPl. II. 257 *in quorum tutelam atque fidem respublica illa creditur.* M. II. 162 *me in meam quietem permitte.* ib. I. 68. XI. 814 *consuluerunt in me.* Ap. 494 *Hoc in me accusas?* M. I. 37 *parce in feminam* (Lucret.) ib. I. 15 *parce in verba.* ib. 17 *tunc ego in verba fidentior.* Porro alia variae eaeque non perversae quidem, sed tamen brevitate plerumque audaci memorabilis usurpationis exempla congeramus varia: M. II. 94 *fontes . . discurrentes in lenem vibrantur undam.* ib. II. 129 *laxa crinem in effusum.* ib. III. 175 *civitas in populum effusa.* VI. 399 *confusis in unum grumulum.* II. 154 *diffusus in gaudium.* XI. 806 *populus errabat in aspectum* (sc. modo hoc, modo illud intuens). — VII. 484 *ignis surgebat in flammas* (cf. Tert. Natt. II. 12 arbor exsurgit in ramos) VIII. 577 *exsultantes in gaudium.* VII. 460 *veste in sinus flaccidos abundante.* II. 144 *in amoris parilitatem congermanescenti.* I. 62 *vulnus dehiscit in profundum patorem.* — VII. 476 *spes hilarior in capitale processit exitium* permulta eiusdem generis alia. His naturalique praepositionis rationi proximum est illud in, quod indicat proprie, aliquid in aliquam rem evadere eiusque formam induere, frequentissime nimirum post verba positum, quae mutationem indicant, qua quis transfertur in aliam condicionem speciemque M. IV. 237 *de iumenti quadripedis incurvo gradu in hominem erectus.* III. 220 *pili mei crassantur in setas et cutis duratur in corium.* V. 339 *duratos in lapidem digitos.* III. 219 *digiti coguntur in singulas ungulas.* XI. 780 *manus . . in erecta porriguntur officia.* II. 93 *lapis in Dianam factus.* III. 212 *in avem*

*) Forte apud Tertullianum eadem indidem orta sententia atque structura invenitur Apol. 46: factitatorem universitatis . . enarrari in omnes difficilem,

sese plumaturam vel quod huiusmodi exemplis omnibus audacius est M. IV. 95 *Actaeon iam in cervum ferinus*: cuius prope dura brevitas paullo mitigatur subdita progressionis cuiusdam notione, quae ex voce ferinus supplenda est. Atque notissimae formulae *in faciem* (Tac. Verg. tritius est „in speciem") illam quidem usurpationem M. IV. 239 *arbores in lauri faciem prolixe foliatae* non aegre ferimus: at illam miramur, pro Apulei more arteficiose quaesitam contortamque ib. III. 233 *in asini faciem frena rodebam.* Illud M. X. 738 *puella in deae Iunonis speciem similis* cum abundantia quadam dictum, alii potius praepositionis proprietati subiciamus. Recentissimae enim aetatis scriptores adiectivis qualitatem aliquam designantibus in addere solent, ut exprimant, quam speciem attingat illa qualitas, velut M. X. 739 *color deae diversus in speciem, corpus candidum . . . amictus caerulus.* ib. I.21 *puer in mollitiem decorus.* I.62 *fluvius . . argento vel vitro aemulus in colorem:* quocum cave confundas M.I.19 *aemulus in convivas.* V.371 *in sororis nuptias aemulus:* quamquam haec quoque constructio memoratu non indigna est: aegre enim alterum eius exemplum conquiras. — His aptissime adiungi potest licentia poetarum, quae in nullius fere posterioris scriptoris dictionem manavit nisi Apulei. In quasi „ad instar" omissa similitudinis notione cum ipsa re conectit, ut significet: in modum, in similitudinem rei (cf. Verg. Aen. XI.771.): velut non veritus est dicere M.VI.440 *Iupiter mugivit in bovem.* IV.245 *iacens in mortuum.* III. 219 *vibratis bracchiis in avem similem gestiebam.* — A principali significatione non ita semota est, sed tamen ab optimorum scriptorum oratione aliena illa ratio, qua significat terminum, usque ad quem res perducitur, velut M. III. 215 *in amentiam attonitus.* ib. I. 37 *in stuporem attonitus.* Flor. I. 20 *in mutuam perniciem concertant* (cf. Vell. Pat. II. 85. 4 in mortem dimicabatur.); fortasse etiam M.II.164 *in profundam quietem sepulto.* (cf. M.VIII.539 sepelivit ad somnum). Tum simili ratione atque „ad" ponitur de re aliqua subito visa vel audita: M. III. 190 *in contrariam faciem obstupefactus haesi**). II.154 *in aureos refulgentes . . attonitus.* XI.795 *in proventum prosperiorem attonitus.* ib. 781 *in aspectum meum attonitus.* — Deinde in saepenumero brevius usurpatum est secundum totius sequioris latinitatis consuetudinem, ut finem rei, propter quam aliquid agitur, et consilium, ex quo agitur et effectum significet: quod purissimae dictionis auctores plena

*) Tert. Cult. Fem. II. 13 in duritiam catenae stupescere.

enunciatione exprimere solebant. Ex multimodis exemplis haec deligamus: M. II. 157 *adulescentem in adulteri gratiam et ob praedam hereditariam extinxit.* III. 189 *manum . . in exitium suum super ipsa cadavera porrigunt.* (Aliter est ib. 184: porrectis in preces manibus.) ib. 198 *quidquam in meam cogitaveris perniciem.* VII. 489. IX. 651 *quae in perniciem pistoris mei gesta sunt.* M. VIII. 539. VI. 403 *in exitium saevire mortalium.* V. 376 *in angorem mei.* Hoc modo explicandum arbitror etiam Flor. I. 16. *Ita Marsyas in poenam cecinit et cecidit:* angusto eodemque arteficiosa verborum pari sonitu sibi respondentium circuitu conclusum. In poenam igitur intelligendum est quasi „ut puniretur“, ita tamen, ut magis esset eventus, in quem invitus incideret, quam effectus, quem de consilio sectatus esset. Huc subiciam illa quoque prorsus insolenter pronunciata: M. IX. 639 *cum eodem illo iuvene miscebatur in Venerem:* a quo diversum est ratione, sed licentia par M. III. 211 *bacchamur in Venerem:* (Cic. Cato I. 10. 26 in voluptate bacchari); denique illud propter brevitatem aegre ferendum M. VII. 490 *cum alioquin exsectis genetalibus possit neque in Venerem ullo modo exsurgere.* Iam formulas adverbiorum rationi proximas omittere possumus minime miras, ut M. III. 178 *in hodiernum.* XI. 795 *in diversum.* IV. 301 *in immensum.* Flor. I. 38 *in commune* etc.

Sequantur praepositionis **in cum ablativo coniunctae**, quae quidem a puriore oratione abhorreant rationes, non minus insolitae prioribus: in quibus eundem quaestionis cursum, quo ante usi sumus, sequemur. Primum igitur conditionis sive status in aliquo loco sive re obtinuit significationem: quam tamen Apuleius nonnunquam neglexit ita, ut praepositionem adderet verbis motus notione praeditis, quae necessario quartum casum requirerent. Atque hunc soloecismum nonnulli elegantiae audacis eiusque ad priscum morem adspirantis nomine vindicabant: qui profecto posterioris linguae senectute degeneratae ab antiqua castitate neglegentiae est dandus. Huc igitur refer: M. X. 727 *in eius vice subditur alia* (sc. potio). IX. 652 *e proximo castello, in quo pridem denupserat:* quod verbum ceteroqui semper cum quarto casu coniungitur, cf. Tac. A. VI. 37. Ov. met. XII. 196. Hoc quoque proficiscendi vim habere necesse fuit Flor. II. 50 *navigantem dies alter in portu sistit.* M. III. 196 *abiectus in lectulo.* ib. II. 141 *convivium totum in licentiosis cachinnis effunditur:* quocum minime congruit, quod hic adhiberi solet, Ciceronianum p. Cael. VI. 36: effusus in largitione. Semel

deinde dixit M. V. 372 *Haec illa .. in auribus .. Veneris ganniebat* quum aliis locis (ib. II. 85 in aurem mulieris obgannit) accusativum praeponeret. Habet autem hoc excusationem quandam, non minus quam illa M. VI. 407 *mutata in lapide Psyche.* III. 191 *fixus in lapide steti gelidus:* quorum, ut nobis videtur, perversitas mitigatur vel declaratur ea ratione, quae apud poetas plerumque intercedit, qui imagines conspicuas (Anschaulichkeit) consectati, id quod fiat iam factum vident. Deinde translatus verum idem legitimus praepositionis usus est is, quo dicitur aliquis aliquid facere vel pati in aliqua re: qui in omni dicendi genere sublimiore adhibitus, et Apuleio frequentissimus neque a ceteris recentioribus scriptoribus alienus est M. IV. 308 *in humanis vultibus deae tantae numina placantur.* ib. 314 *Quid laceratis in vestris oculis mea lumina?* V. 359 *in eodem corpore odit bestiam, diligit maritum.* ib. 367 *complexus in calamo Cannam deam.* VII. 492 *in novissima parte corporis totum me periturum deflebam.* Iam insolentior ea est praepositionis notio, qua designare instrumentum vel caussam videtur: quae tamen legitima est ac prorsus rationalis, quandoquidem id, quod per aliquid fit, etiam potest dici fieri in eo, quoniam caussa posita est in rei condicione. Nobis quidem tum otiose et cum abundantia quadam addita videtur praepositio. Est autem hic usus a poetis oriundus, qui res ante oculos quasi ponere animique notiones mutare student in expressas imagines, non cogitatione percipiendas sed quasi oculis; deinde omnibus recentissimi aevi scriptoribus, qui quidem poeticam affectent imitationem, frequens et Afris potissimum in primisque Tertulliano familiarissimus est*). Varia ex Apuleio conquisivimus exempla. Minime offendit in post adiectiva positum ut X. 742 *oculis in adspectu minacibus.* II. 88. *oculi in adspectu micantes.* IV. 265 *in prospectu attonitum.* VIII. 570 *in hebeti pigritia ferox.* Flor. I. 18 *in tibicinio apprime nobilis.* M. VI. 390 *in tantis exantlatis laboribus defessam.* Multo magis memorabilia sunt illa M. II 85 *senex iam gravis in annis.* ib. 115 *vini cadum in aetate pretiosi.* IV. 293 *in aetate maior*, vel quod simplis casus et praepositionis vice insigne fit M. X. 690 *illum parricidam fraterno exitio et in comminata novercae nece sicarium.* Quibus addamus haec: M. IX. 656 *iam his in poculis mutuis alter-*

*) Idem fere accidit in Graecorum ἐν, quod simili ratione primum poetica consuetudine (Pind. Ol. II. 30. XIII. 78) indeque a posterioribus, Byzantinis inprimis scriptoribus frequentatur.

cantibus. II. 104 *vasculum in orbis flexibus crebra succutiens.* ib. I. 21 *in flexibus tortuosis . . saltationem explicat.* II. 141 *in officio mones sanctae tuae bonitatis.* IV. 282 *in quo solo poteram celatum auxilium ferre bono commilitoni, sic indaginis principes dehortabar.* Illa DPl. I. 201 *in luce siderea ardere.* Ap. 457 *divitiae non melius in fundis et fenore, quam ipso hominis animo aestimantur* quamquam facilius explanari possunt, tamen et ipsa huc vergunt. Nulla alia re quam brevitate sunt insignia M. III. 182 *cum me viderent in ferro.* ib. 193 *ut in aere imago stet.* Flor. II. 51 *plurima auri et argenti ratio in lancibus.* Denique ad tempus translatae praepositionis is usus memorabilis est, quo ablativo additur, ubi nihil significat nisi tempus ipsum, non, ut vulgo, rerum, quae eo tempore fiunt condicionem: velut saepius dixit *in eo tempore* = tum cf. Ap. 478. 494. 521. 533. Est hic antiquorum maxime poetarum et recentiorum (Suet. Plin.) familiaris usus.

Iam reliquas praepositiones, quae ablativum requirunt, deinceps pertractemus. **A** primum loci ratione, plerumque cum verbis opponendi iunctum, significat rem adversam, ex adverso positam, ut Ap. 428 *Ita et tibi ignobilitatis umbra a probatore obstitit.* (Plin. Stat.) ib. 513 *a vobis stat.* Loci rationem retinuit etiam DSr. 135 *ut Tarquinius Priscus aquila obumbretur ab apice, Servius Tullius flamma colluminetur a capite:* quae deinde transiit in eam significationem, quam solemus explicare per verba „quod attinet ad". Velut non inaequali quidem at certe singulari modo (vulgo enim adiectivis ita additur, ut condicionem indicet ad certam aliquam rem relatam) posuit M. IV. 284 *Thrasyleon nobis perivit, sed a gloria non perivit:* quocum comparatur Plautinum exemplum, verbo simillimum Truc. I. 1. 26:

bis periit amator ab re abque animo simul.

Tum Ap. 388 *multos philosophos ab ore honestissimos memoriae prodi.* DSr. 175 *nec a corpore caducum nec ab aetate mutabile:* a quibus non ita longe distant M. VII. 481 *pedibus suis ab aquae madore consulens* vel Asc. 318 *inane ab igni, ab aqua* (Prud.) Iam denique huiusmodi verbis M. II. 146 *cadaver a malis Harpyis custodias* non infrequens additur (Plin. Quint. etc.) Restat ut de solitae coniunctionis usurpatione insolita disseramus: DSr. 159 *ab Aulide desedibus et obsessis et taedio abnuentibus* (Graecis.) Ibi „ab Aulide desidem esse" longe alia ratione scriptum cogitatumque est quam „ab opere desidem". Ab enim hoc loco designat caussam, ut saepius, quae cernitur in im-

pulsione vel occasione oblata: quae particulae notio, alias luculentissima, obscuratur et quasi impeditur sententiae affectata constrictione, qua Aulidem fingit caussam fuisse desidiae Graecorum sc. diutinae Aulide mansionis molestiam ac taedium. **Absque** vocem priscis tantum indeque recentissimi aevi scriptoribus usitatam (Plaut. Ter. — Gell. Amm.) apud Apuleium invenimus duobus ferme notionibus diversam. Primum ad particulae sine vim proxime accedit, ut M. IX. 641 *absque noxa nostri.* Aliter est Ap. 517 *scitis . . quid . . absque omnibus profanis tacite veneremini* i. e. exclusis omnibus profanis, remoti a profanis. Mire composita vox **abusque**, quae neque praepositio est neque adverbium (cf. Serv. ad. Aen. VII. 289.) Ap. 522 *cui vulturio Alexandrini coeli quidquam abusque Oeensium finibus oboleat?* praepositionis vim induit: ceterum rarissima legitur (Plaut. Amphitr. I. 1. 97. Verg. Aen. VII. 288. Amm. Solin.)

Sequitur praepositio **de**, in qua frequentanda ac varianda Apuleius plurimus est. Cunctae autem notiones profectae sunt ex nativa eius vi admodum flexili mutabilique, qua primum habet deductionis ex aliquo loco vel detractionis de aliqua re conspicuam ut sic dixerim significationem. In qua amplificanda plurimum sibi sumpserunt Afri, inprimis Tertullianus: nam apud eos legitur, ubi tum ab aut ex purioris dictionis sectatores praetulissent, tum in eius locum secundum, propter, vel simplex ablativus videtur succedere posse. Sic insolenter coniunxit Apuleius „petere de aliquo", non ut apud Ov. Fast. IV. 822: de vicino terra petita solo, sed M. VI. 410 *Petit Venus de te:* quod de precibus non usurpatur nisi ab infimi ordinis scriptoribus (MCap.), itemque propinquae notionis alia verba M. III. 183 *de me contendit, interessem.* VIII. 583 *poenas de se suis manibus exposcere.* I. 66 *de quadam anu . . percontor.* X. 695 *Ergo, ut res est, de me cognoscite* sc. a me. Minus sunt haec insolita, ubi nos tamen exspectaremus ex M. V. 332 *de manibus uxoris evanuit.* XI. 785 *preces de casto ore profatus.* Flor. I. 29 *de summo pectore hiscere.* M. I. 83 *ut et lapides quos offenderem de homine duratos* permulta similia. Deinde multo minus vulgaria colligamus haec: M. III. 218 *nostrae viduitati . . de vindicta solatium date.* IV. 250 *nec . . solatium de tam sera refectione tribues* II. 94. *Splendet intus umbra signi de nitore lapidis.* ib. 107 *magis de cutis roseo rubore quam de vestis aureo colore placiturae:* quod non eadem ratione positum est, qua „delectari de aliqua re" sed caussam indicat, u[illegible]t. VIII. 528 *Thra-*

syllus praeceps alioquin et de ipso nomine temerarius brevius quidem dictum est, sed idem apertissime; designat enim temeritatem a nomine (θρασὺς), quasi e fonte suo deductam ex eoque pendentem. Superfluum fere videtur de, eodem modo derivandum, his locis M. IX. 699 *de vastiore nodulo cerebrum diffindere.* ib. 671 *confusus de impotentia deque inertia sua.* VIII. 539 *de iussu dominae blandiens ei.* Manifestior oriundi vel ex loco vel de re aliqua notio, quae ubique semper retinenda est, apparet in his enunciatis, insolenti interdum brevitate insignibus M. V. 355 *malum grande de vultus curiositate praeminatur.* VII. 489 *eiusque* (sc. asini) *mortem de lupo facile mentiemur:* quod facile ad explicandum, ad vertendum difficillimum est, si eadem verborum angustia circumscribendum est; exprimit nimirum deductionem mortis de lupo profectae. Ad eandem rationem vergunt VIII. 591 *nequissimo verberoni sua placuit salus de mea morte.* VII. 477 *de me metuentes sibi.* VI. 426 *nec prosapiae tuae . . de matrimonio mortali metuas*: quod longiore interpretationis ambitu explanandum est fere: ne metuas miserias, sive aerumnas, de hoc matrimonio orituras; ubi nostro von ad vertendum uti possumus congruentia non solum ad verbum verum etiam ad rationem accurata. — Deinde materiam, ex qua aliquid factum est, simplex de per se designat, nullo verbo addito M. II. 92 *arbusculis alibi de lapide florentibus.* In similitudinem istius, quod de omnibus rebus, unde aliquid suppeditatur, indeque de quocunque impendio dicitur, haec intelligas M. V. 357 *opportunitatem de luminis consilio mutuare.* ib. II. 167 *de suo lepore comminisci.* ib. III. 211 *de propria liberalitate obtulit corollarium**). Extremo loco paucas compositiones ad universam ante adumbratam rationem revocandas afferamus M. III. 221 *de more.* Ap. 378 *de composito* (Tert. adv. Marc. III. 17 de proposito) ib. 379 *de professo.*

Iam in reliquarum praepositionum usu percensendo breviores esse possumus. **Ex** in formulis quibusdam notandum est, velut M. II. 169 Ap. 550 *ex summis viribus.* M. VII. 493. VIII. 517. IX. 692 *ex summo studio*: quae praeterea Plauto frequentes

*) Illud, quod in proverbium abiit VII. 468: Revera ludis de alieno corio, quod nonnulli de chamaeleonte tractum explicant et de homine inconstanti ac pro tempore in omnem habitum vertente dictum volunt, alii melius, ut opinor, intelligunt de iis, qui securius agunt, sed alieno periculo. Quam interpretationem noster quoque locus comprobat; inde illud in discrimen et impensas tanquam alterius agere ad commemoratam supra rationem accedere videtur.

neque recentioribus (Gell. N. A. VII. 3) inusitatae sunt. Tum Flor. III. 73 *ex pari* (Quint. Sen.) Asc. 304 *ex intimo*. M. VII. 494 *ex forma* (concidi fustibus cf. Tert. Apol. 7.: ex forma omnibus mysteriis silentii fides debeatur). Depravatae latinitatis est ex pro ablativo simplici (sc. instrumenti) positum Asc. 319 *a superiore illo mundo quasi ex vestimento contecta*. — **Prae** pro ob, propter, in cuius vicem non raro succedit, tamen hoc loco offendit M. X. 722 *prae absentia mariti .. descivit ab obsequio mariti*. Insolentius coniunctum est etiam DSr. 128 *mirari super diis immortalibus*. — Denique non praetermittamus minus usitatas praepositionum collocationes: ex quibus frequentior est: *Per ego te* etc. M. VI. 384. IV. 305; *diem ferme circa medium* M. III. 235. IX. 650; tum, quod Tacito familiare est M. IV. 243 *rivulum quendam serpentis leniter aquae propter insistens;* denique, quod paullo durius a vocabulo suo remotum est M. IV. 269 *praeter venationibus captas ursas*.

Atque his particularum tam magnum multimodumque genus absolvimus. Sequitur, ut de universa iungendi construendique ratione disseramus, quae non in singularum vocum usu percipitur, sed coniungendis inter se aut verbis aut enunciationibus totis cernitur. Ac primum **singulorum casuum usurpationem** licentiasque perlustremus, deinde singula in enunciatorum cursu perperam conexa et a recta scribendi norma abhorrentia notemus. In universum paene supervacaneum est monere, quascunque prioris saeculi scriptores in primisque poetae sibi sumpserint licentias, Apuleium tam immodice frequentavisse quam audacter adauxisse. Neque indiligens fuit Graecornm liberioris structurae sectator: quam ea de caussa impense affectavit, ut eius facilitate ac venustate orationem ubique turgidam neque raro verborum incondita mole tardam atque molestam aut adornaret aut redderet quasi volubilem.

Atque quum ubique dictionis audacia ac novitate insignis flosculos appeteret, tum maxime sibi in **genitivi** usu indulsit, ad variae structurae rationes breves brevitateque insignitas gratasque non inhabilis. Ex quibus primum assumamus eam, qua neutris adiectivorum diversisque loci et temporis adverbiis apponitur: quae quum antea iam usitata esset, tamen ipsa immodici ac fere libidinosi usus frequentia memorabilis fit. Atque alteram quidem speciem iam supra tetigimus*):

*) Interponamus hic: M. I. 15 „quid sermonis agitarent“ ib. 37 „quid

ad alterius circuitum longe lateque patentem certe adumbrandum haec enumeramus exempla, praetermissis ne vulgarioribus quidem: M. II. 139 *usquam gentium.* Flor. II. 48 *uspiam gentium.* ib. III. 73. 77. IV. 86 *alibi gentium.* M. IX. 624 *minime gentium.* — Ap. 497 M. VII. 462 *ubi locorum.* M. VIII. 562. *quonam loci puer decidisset.* Ap. 492 *ubicunque locorum.* ib. 475 *ubique litorum.* ib. 466 *alibi carminum.* M. VII. 496 *Nec uspiam ruris.* M. V. 337 *longe parentum velut exsulantes.* ib. II. 165 *capillis hinc inde laterum deiectis.* VIII. 554 *undique laterum circumfusi.* Ap. 589 *undique sui perfecta.* M. VIII. 587 *intus aedium* nusquam alibi reperitur, ut etiam Ap. 509 *foras corporis,* quod postremi aevi scriptores (Hieron.) quasi esset praepositio, cum accusativo coniunxerunt. M. VII. 488. IX. 601 etc. *incoram omnium.* M. II. 180. X. 700. XI. 804 *tunc temporis.* Flor. III. 77 *semper annorum. Largiter aquae* Ap. 455 secundum Plautinam consuetudinem dixit; at sine exemplo formulam veterum inprimis comicorum propriam: frustra esse = in errore esse, falli, decipi, cum genitivo iunxit Ap. 435 *longe huius animi frustra es.*

Ex cetero usu ea primum desumamus exempla minus quidem insolita, sed immoderate frequentata, in quibus genitivus appositus est adiectivis, quae animi quandam condicionem maximeque commotionem indicant. Minime rarus est animi ipsius genitivus, velut M. II. 99. III. 204 *vecors animi.* ib. 214 *exterminatus animi.* V. 354 *tenella animi.* 360 *et corporis et animi alioquin infirma.* IV. 310 *animi saucia.* VI. 384 *furens animi.* IX. 635 *confirmatum animi amatorem.* XI. 814 *suspensus animi.* Ap. 549 *mutatus animi.* Sed haec omnia et apud Augustei aevi poetas et insequentis scriptores admodum crebra occurrunt: quorum a nativa castitate iam deflexam rationem longe egressus est, quum dicere non vereretur Ap. 440 *tantus animi.* M. IV. 167 *Quis tantus ingenii, quis facundiae* etc. Alia apposita, quae ad mentis affectionem aliquam vel omnino facultatem pertinent, confer haec: M. III. 226. VIII. 538 *pronus spei.* IV. 261 *trepidi religionis.* ibid. *vir sublimis animi virtutisque praecipuus* IV. 265 *certus erroris.* X. 698 *certus poenae.* IX. 627 *certus fragilitatis humanae.* V. 371 *filium . . dubium salutis iacere.* Ap. 498 *dubius sententiae.* Mund. 335 *Heraclitus sententiarum suarum mobilis.* — M. IV. 303 *impatiens indignationis* VI. 400 *cordata*

mulieris est?“ ib. 53 „hoc noctis.“ ib. 54 „Illud horae memini.“ Flor. II. 55 „id aevi quo.“ Ap. 390, 518 „ad hoc aevi.“ ib. 594 „puer hoc aevi.“

difficultatis. V. 352 *incuriosa periculi*. IV. 289 *salutis et pudicitiae secura*. V. 354 *secura periculi*. (Curt. V. 29. 15): quorum genitivorum (salutis-periculi) diversa est ratio. — Permulta praeterea alius generis apposita, quae omnino necessarie requirant rem, ad quam referantur, genitivum adsciscunt: ex quibus sunt usitatiora, quae pleni vel vacui notionem habent. M. X. 698 *gravedinis compertae famosum et soporis efficax*. Ap. 539 *levitatis increpitus*. M. X. 694 *noxae compertum*. VIII. 508 *morum improbatus*. (Sil.) III. 202 *maleficae disciplinae perinfames*. — IV. 303 *orbis totius alma Venus*. IV. 289 *virginem summatem regionis*. XI. 810 *fani quidem advena, religionis autem indigena*. Ap. 559 *rei modicus, spei immodicus*. IV. 239 *rosas .. madidas divini roris*. ib. *rubi felices beatae spinae*. VIII. 506 *pecuniae satis locuples*. — DSr. 122. *Ceterum profana philosophiae imperitorum turba, vana sanctitudinis, priva verae rationis, inops religionis* etc. Flor. I. 19 *frugum pauperes Ityraeos et odorum divites Arabas*. ib. III. 66 *animae vacuus* ib. II. 42 *virtutis sterilis*. ib. 47 *liber omnium*. M. V. 322 *vox corporis sui nuda* etc. — Proximum est, ut nonnulla verba afferamus, quae adiectivorum rationem secuta genitivum habent, ut M. IX. 598 *completus aquae* quod quidem participii tantum forma occurrit, et IV. 284 *ursae magnificum despoliavit latronem;* deinde, quae mentis quandam condicionem designant, velut M. IV. 299 *languoris corporis damnique ceteri anxiatum iri praedicant*. M. II. 116 *recreabar animi*. I. 75 *voti gaudeo* cf. M. V. 361. XI. 800. — M. IV. 310 *irae superum metuens*. ib. I. 39 *captivitatis metuens*. II. 86 *Vereor ignotae mihi feminae*. Tum haec M. III. 195 *coenae pignerarer*. VII. 497 *serae vindictae gratulabar*. — IV. 246 *postumae spei fatigatus*. II. 171 *pugnacium latronum in vicem Geryoneae caedis fatigatum*. M. V. 323 *corporis curata*. ib. 326 *novam nuptam interfectae virginitatis curant*. — Graecorum similis notionis verborum constructionem sequuntur: M. I. 54 *Cerberum prorsus esurientem mei*. DSr. 172 *non fallacis undae sitit sed verae beatitudinis*. ibid. *prudentiae fortunatissimae esurit et sitit*. M. V. 377 *pinnas . . nectarei fontis infeci*. Asc. 323 *di catholicorum dominantes* (cf. Tert. Apol. 26 extr. nunquam dominaturi eius.) VII. 475 *adoreae gloriarer*. ib. I. 80 *obediens obstinationis suae*. IX. 668 *mihi operae eius opus est*. A Graecis desumptus est etiam genitivus, qui comparativis additur, ut M. III. 194 *dignioribus meique maioribus*. VIII. 582 *homines non sui fieri meliores*. IX. 665 *nec tamen molliorem sui provocaverat*. — M. XI. 815 *deus deum magnorum potior*. DPl.

I. 199 *omniumque gignentium esse seniorem.* Indidem manavit genitivi, quem dicunt partitivi singularis usus M. IV. 267 *praecipuus omnium.* Ap. 479 *peregregiam tragoediarum.* ib. 480 *apud antiquos philosophorum.* Flor. I. 1. *Religiosis viantium moris est.* Mund. 361 *Phidian illum, quoniam fictorum probum fuisse tradit memoria.* — Ad genitivum pretii revocandum est Ap. 438 *paucioris ego habeo;* nam habeo est = habito, secundum veterum comicorum consuetudinem. Denique loci genitivus, qualis legitur M. II. 144 *ignoras Thessaliae te consistere* iam apud priores scriptores reperiuntur singuli.

Circumscripsimus his fere exemplis genitivi multiplicem usum. Iam **dativi** rationes non ita multifariam a recto solitoque usu discrepant. Ac primum quidem verbis additur praepositione compositis, quae aut motum indicant aut quietem, ubi, qui sincerius locuti sunt, praepositionem cum casu antehabuerunt; sed iam inde ab Augusti aetate increbruit dativi usus. (Verg. Ovid.) Ap. 509 *venis . . pervasit.* M. V. 364 *advolavi tibi* VI. 393 *coenae nuptiali concessit.* VII. 453 *mille aureum communi conferebat arcae.* VII. 464 *accedunt sententiae.* VIII. 588 *accingunt se meo funeri.* ib. 508 *sceleri . . accingitur.* ib. 577 *praesepio . . me deligant.* IX. 663 *terrae prosternitur.* ibid. *terrae concidit.* X. 768 *terrae procumbit.* VII. 475 *armamentis . . me permisit.* V. 366 *eam . . herbis exposuit.* M. XI. 760 *Laevae vero cymbium dependebat.* (Ovid.) — M. III. 202 *iuvenem . . tonstrinae residentem.* ib. 226 *residens aediculae.* ib. 277 *orchestrae mediae me sistunt.* VII. 460 *asello residens;* denique, quod vix ferendum est M. VIII. 561 *passerem incantantem sepiculae.* Praeterea ex aliis multis verbis notionis diversae dativus pendet, ubi praepositionem malueris, velut M. VIII. 554 *canes nobis inhortantur.* VIII. 508 *cruento facinori quaerebat accessum.* X. 686 *venenum . . insontis privigni exitio praeparat.* VIII. 585 *in sacculos huic quaestui paratos.* VII. 491 *ferramentis huic curae praeparatis.* X. 749 *nuptiis destinatum.* IX. 651 *calathum fetui gallinaceo destinatum.* V. 352. VIII. 537 *adventui tuo excubabit.* VIII. 591 *lanienae cultros acuebat.* — M. IV. 287 *huic me operi attonitum.* VIII. 513 *canes venationis indagini generosae* etc. — Liberrima autem atque profusa apud Apuleium est usurpatio dativi ea, quam in vocabulis forma notioneque supino proximis et in gerundiis verborum observavimus: quae apposito aut verbo adduntur dativi forma, plerumque ut significent rationem consiliumque, ex quo res agatur. Velut M. I. 59 *aliquid cibatus refovendo*,

spiritu desidero. ib. II. 118 *arcana fatorum stipibus emerendis edixit in vulgus.* VII. 454 *nec manum validam erogandae stipi porrigeret.* III. 198 *lorum . . quem tibi verberandae destinasti.* Flor. IV. 101 *fruticem, quem verberando equo gestant.* M. XI. 780 *tegendo mihi linteam dari.* VII. 491 *oneri ferendo non inhabiles.* XI. 806 *fovendis mortalibus munifica.* II. 167 *utinam aliquid laetificum . . honorando deo comminiscaris.* VII. 479 *delegor enim ligno monte devehundo.* VIII. 507 *nubendo maturuisset* etc.: quae omnia iam in usum argenteae latinitatis scriptorum abierunt. Ex altera classe*) conquisivimus haec exempla satis multa: M. I. 23 *quod ingressu primum fuerit stabulum.* ib. 31 *lavacro, quod unctui quod tersui ipse praeministro.* ib. 73 *ut prius aliquid cibatui prospicerem.* IX. 600 *aliquid cibatui parabis.* I. 72 *oleum unctui et lintea tersui et cetera huic eidem usui profer ociter.* V. 324 *refectui suo . . accumbit.* VIII. 557 *refectui paullum conquiescere.* VII. 465 *nullum uspiam pecus sacrificatui ac ne vinum quidem potatui affatim . . habemus.* IX. 598 *aquae pelvem referrent potui meo.* Flor. I. 9. *quodcunque esui animatum.* ib. 32 *Habebat indutui-cinctui-amictui.* Ap. 436 *Levia sustentui, gravia demersui.* ib. 392 *petisse eum a me aliquid tersui dentibus.* ib. 518 *lini seges . . non modo indutui et amictui sanctissimis Aegyptiorum sacerdotibus, sed opertui quoque rebus sacris usurpatur.* In exemplis extremo loco allatis dativorum ratione duplici relatorum molestior est concursus. — Iam ille dativus, qui genitivi vicibus fungi videtur, minime aut infrequens est aut a recta norma alienus, qualis M. I. 50 *damnatae iam cruci candidatus.* IX. 627 *medelam cruciatui deprecatur.* VIII. 571 *cachinnos circumstantibus movebat.* II. 93 *His oculi minantur.* V. 380 *Quod . . isti crimen:* ad quem proxime accedit dativus, quem vocant familiarem M. VIII. 540. V. 322 *Nec . . regales tibi epulae morabuntur* etc. Restant denique nonnulla verba, quae contra optimae orationis solitum usum hunc casum adsciscunt, velut Flor. III. 70 *deceat philosopho* quod in primis Plauto familiare est; deinde DSr. 122. 133. Ap. 413 *curare hominibus,* antiquis (Acc. Plaut.) tantum et recentissimis usitatum est. Facillime explicatur M. IX. 663 *propugnare fratri* (Amm.) et M. VII. 500 *propugnare pedibus et arcere morsibus misello puero;* tamen sine exemplo dictum est Flor. IV. 100: *Hisce igitur moramentis omnibus qui volunt devitare.* Inauditum est etiam M. VIII. 509 *futurae soboli novorum maritorum gau-*

*) De qua cf. Reissig-Haase Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft. Anm 598.

dibundus: aliter enim sunt dativi sibi, mihi, qui ex Lucr. III. 145. Cic. fam. 6. 15 conferuntur. Fortasse emendatione locus sanandus est.

His peractis **accusativi** plurimas ac maximas deinceps perlustremus licentias. Ac primum quidem Apuleius cum omnibus eum verbis coniunxit, quae eundi vel movendi aliquam habent significationem, poeticam licentiam non imitatus sed immodice supergressus. Ex tanta exemplorum copia et multidudinis et rationis adumbrandae gratia plura proponamus: M. I. 10. 29. 68. II. 85. 90. 102 *fores accedo*. I. 84 *forum me intuli*. 79 *cubiculum me reporto*. IV. 270. VI. 422. III. 212. II. 153 *cadaver accurro*. II. 169 *fores nostras irruentes*. VI. 448. III. 219 *irrepit cubiculum*. VI. 398. V. 364. II. 170 *latrones involo*. V. 352 *scopulum pervolant*. ib. 328 *scopulum* : . *aderunt*. ib. 359 *altum soporem descenderat*. Asc. 290 *maris profunda descendit*. IX. 637 *sol delapsus Oceanum*. ib. VIII. 543 *monumentum mariti contendit*. IX. 653 *civitatem deducere*. ibid. *hortum redire* etc. cf. veniendi composita M. I. 24. VI. 443. VII. 471. IX. 673. 657. VII. 447. — His proxime adiungantur ea, quae cum praepositione composita aut motum indicant aut quietem: quae quum vulgo aut praepositio repetita aut dativus sequatur, Apuleius nonnunquam satis audacter cum accusativo coniunxit. Nonnullis pro arbitrio tum tertium tum quartum casum apposuit: M. III. 176 *tribunal astituor*. IX. 637 *coenam accumbunt*. IV. 215 *mensas* . . *accumbunt* (Acc. Lucil.) II. 116 *mensulam* . . *accubuerat*. VI. 426 *accumbebat summum torum maritus*. V. 329 *lectum maritus accubans* altero exemplo caret. M. VII. 458 *tabernulam* . . *incubabant*. IV. 277. 257 *incubare folles*. M. VI. 384. Ap. 587 *pedes nostros advolutus*. M. VIII. 539 *quasi parentem adsideret aegrotum* cf. I. 70. IV. 290. IX. 628 — M. II. 125 *grabatulum meum adsistit mensula*. V. 325. IX. 623 *adfertur aures*. VI. 436 *virginis voculas adhinnire*. — Asc. 308 *inhabitabit Aegyptum*. M. IV. 247 *quam inhabitant* (at ibid. 278 *quis inhabitabant*). ib. VIII 553 *laqueos inhaesimus* (at ibid. 554 *stantibus inhaerere* sc. canes). Mund. 342 *cogitationes penitus insedit*. M. I. 39 *dolium innatans*. (at M. II. 162 *paludibus innatans*). M. II. 119 *fortunam incidit*. VI. 396 *meas manus incidisti*. III. 172 *coelum inequitabat*. ib. 174 *angiportum insistimus*. II. 143 *Insistebat lapidem*. ib. 162 *lapidem insistens;* in quibus manifestior est accusativi ratio quam in his: M. VIII. 556 *meum dorsum residebat*. III. 173 *grabatum insidens*. IX. 653 *dorsum insidens meum* (at ibid. 656 etc. *spinae meae re-*

sidens). IV. 309 *currus biiuges alti subnatant.* M. I. 56 *Socratem superruo* etc. — Verum his Apulei in exprimendis loci rationibus licentiosum usum certe adumbravimus. Hoc tamen non minus memorabilis, si et frequentia eum metimur et licentia, est is accusativus, quem Graecum appellare solemus: qui in verbis patiendi et neutris designat rem, ad quam verbi actio referatur. Exempli gratia congessimus haec: M. I. 59 *genua quatior.* VI. 421 *mentem capitur temeraria curiositate.* ib. 401 *revincta corpus rosis.* VIII. 507 *manus infectus humano cruore.* ib. 533 *toro faciem impressa.* X. 707 *adusque intestinorum dolorem redactus.* IX. 616 *totam cutem depicti.* VIII. 580 *tunicas . cingulo subligati, pedes luteis calceis induti.* XI. 773 *crines . . obvolutae, capillum derasi.* IX. 616 *dorsum . . inumbrati magis quam obtecti . . pubem iniecti, frontes literati et capillum semirasi et pedes annulati.* VII. 469 *laeti faciem* IX. 617 *nar.s . . hiulci, pectora . . exulcerati, costas . . renudati, ungulas . . porrecti* etc. Insolentius accusativus verbis neutris additur (ut Verg. Georg III. 84.) cf. M. V. 353 *colla sanguinantem* (sc. colubrum). VI. 445 *foetore nimio nares aestuet.* Huc referendum est etiam M. VIII. 530 *Charite . . corruit corpus et obnubilavit animam.* Corruere quidem alias etiam (Plaut. Cato.) accusativum adscivit (etsi non sensu reciproco): sed hic in agendi notionem quasi coactum est propter insequentis obnubilandi congruentiam. — Ceterum ad pernoscendam huius graeci accusativa propriam rationem naturamque aliquid facere arbitror haec verba, quae quamvis agentium et formam habeant et notionem manifestas, tamen insolentiore modo accusativum adsciscunt: M. V. 351 *adolescens modo florenti lanugine barbam instruens.* ib. 335 *iuvenem lanoso barbitio genas inumbrantem* similia. — Transeamus deinde ad illum poetarum omnium sequiorisque latinitatis proprium usum, quo accusativus verbis apponitur notione praeditis intransitiva. Eius moris exempla apud Apuleium invenies permulta usitata, admodum pauca ante inaudita. Minus igitur offendunt haec: M. II. 158 *instrepere,* III. 174 V. 336. II. 153 *perstrepere,* IV. 294 *constrepere aliquid.* M. VIII. 529. IX. 628. X. 685. VII. 455 *nomen horrescunt.* V. 314 *congemit factum.* Mund. 362 *incendia suspirant.* Flor. III. 65 *murmurari tarditatem.* M. III. 174 *fortunas meas eiulabam.* IV. 260 *eiulans sese.* III. 185 *exitium meum cachinnat.* M. XI. 759 *luna spirabat ignes.* ib. 761 *spirans felicia germina.* V. 338 *deam spirat* (cf. Iuven. VI. 436. Hor. ep. II. 1. 166); leviora alia cf. M. V. 378. XI. 768. X. 754.

IX. 599. V. 332 etc. — *Desinere* ad instar agentis verbi practer poetas recentioresque scriptores (Verg. — Suet.) Cicero semel usurpavit ep. fam. 7. 14: Apuleio frequentissimum est cf. M. III. 203. V. 329. 333. 368. IV. 291. VIII. 575. Verbum coenitandi cum accusativo rei M. IX. 592 *sacrificales epulas . . coenitabat* omnino quidem semel dictum est; verum id fortuitum est: nam coenare (M. X. 703 *foenum coenare*) apud antiquos recentioresque poetas persaepe ita usurpatur. (Plaut. Hor. Pers. Mart.) Apud eosdem etiam illa clamare, conclamare (M. X. 691. M. II. 158) cum accusativo coniuncta inveniuntur. In his nonnulla sunt, quae ad speciem etymologicae figurae structa sunt, velut M. IX. 592 *epulas coenitare*, vel illud, per ellipsin dictum IV. 285 *Saliares se coenasse.* Ad eandem rationem revocanda sunt: M. V. 357 *altum soporem flare.* IX. 596 *somnum humanum quievi.* IX. 630 *stipendia Veneri militabant.* (Plaut. Pers. II. 2. 49 militiam m.) VI. 420 *infernum decurrit meatum.* (cf. Ovid. met. X. 597.) X. 734 *decoros ambitus inerrabant.* Flor. IV. 88 *hanc caussam primam . . viceris.* Propriam huius figurae speciem, qua eiusdem originationis vocabula iunguntur, non ita crebro usurpavit: M. IV. 282 *miserum funestumque spectamen adspexi.* XI. 814 *cogitationes exercitius cogitabam* DPl. II. 252 *vitam vivere honestam.* ib. 257 *matrimonia quoque non privatim maritanda esse.* Mund. 341 *spirat illos spiritus.* Ap. 526 *vinolentum sudorem in balneo desudare.* ib. 550 *in omnibus Minervae curriculum currat**). Denique nonnulla verba commemoremus, quae contra certam regulam stabilemque linguae usum coniunguntur cum accusativo. Ex quibus secundum priscam consuetudinem structa sunt haec: Flor. II. 55 *Samum potiebatur.* M. X. 750 *portam potitus.* ib. VIII. 540 *nuptias non frueris.* Ap. 546 *prospectus . . fruiturum me* (Ter. Cato. Futuri passivi participii forma sic apud optimos quoque non infrequens est.) Idem usuvenit in verbo fungendi cf. M. VI. 402. DPl. II. 229. Ap. 436 *eam non simulatam sed vere fungimur.* Dativus usitatior fuit in his: Asc. 325. 324 *bendicentes deum* (Eccl.) M. IV. 254 *ceteros antistabat.* (Me-

*) His in transcursu addamus eiusdem originis verborum repetiones: DPl. II. 242 insociabili vita . . vivere ib. 248 securo gradu virtutis via graderetur. Ap. 594 magna fugela in ganeum fugit. M. III. 175 lustralibus piamentis minas . . expiant X. 709 calicem uno hausto perhausi, alias: quae nonnunquam tribuendae videntur scriptoris neglegentiae, similiter atque haec: Flor. I. 32 indumenta, quibus indutus, et: monitu famuli, qui noctis admonebat, vel illud M. X. 714: per admirationem assiduam in admirabilem mei cupidinem incidit etc.

tell. ap. Gell. XII. 9.) M. VIII. 552 *equos antecellentem*. ib. II. 138 *cunctas civitates antecellimus* (Tac. Plin.) M. VII. 481 *iniquitatem ponderis medebatur*. (cf. Ter. Phorm. V. 4. 3): de quo Serv. ad. Georg I. 193: „medeor illam rem figuratum est." Postremae latinitatis (Tert. Arnob.) est „suadere aliquem" M. IX. 642 *uxorem eius tacite suasi ac denique persuasi* et passiva forma Asc. 300 *Aegyptus suadebitur*. M. IX. 635 *suasum . . amatorem*. Quum nollet sententiae invertere concinnitatem, dixit etiam DPl. II. 234 *Virtutes eas doceri et studeri posse arbitrabatur*. Deinde M. I. 41 *Quae quum subinde, ut multi, noceretur:* qui soloecismus iam ante reperitur (Vitruv). Continuari passive dictum, ut significet: arcte coniunctum esse cum aliqua re, continenter sequi, quum optimus quisque scriptor cum dativo iungeret, Apuleius solus, antiquorum normam secutus, fortasse etiam sensus similitudine cum „continenter sequi" congruentis, eiusque verbi constructione ductus cum accusativo conexuit M. I. 74. VI. 415 XI. 800. V. 378. *Sed eam protinus Ceres et Iuno continuantur*. De illo denique *proximare ripam* M. XI. 785 et *proximare praesepio* M. III. 224 vidimus supra.

Reliquum est, ut de **ablativi** usu pauca verba faciam. Ac primum nimirum poetarum libertate usus simplicem ablativum ubique posuit, ubi quaeritur, quo loco aliquid fiat aut unde aliquid deducatur: velut Flor. I. 9 *simul campis pecua, simul montibus feras, simul homines urbibus . . cernens*. M. I. 67 *quibus deversetur aedibus*. 70 *accubantem grabatulo*. IV. 294 *templis immolabant*. XI. 756 *Paphi sacrario coleris*. ib. 766 *Stygiis penetralibus regnare*. III. 189 *lectulo . . posita* II. 101. IX. 607 *lectulo, angulo collocare*. — M. III. 191 *theatro facessunt*. II. 140 *bustis petuntur cadavera*. III. 213. *terra resultat*. VI. 394 *coelo demeat*. IX. 632 *procurrunt cubiculo*. IV. 243 *producunt stabulo*. II. 112 *cervice pendulos* (sc. crines) multa similia. Sine exemplo dictum est M. IV. 276 *locum .. lacu aliquo conterminum*. Deinde in his praepositionem ab additam esse velimus: Mund. 228 *vicinia mundi secretos*. M. VIII. 555 *qua potissimum caveremus dade*. (at ib. II. 96 dixit: cave a malis artibus). Flor. II. 49 *ni Zeno procinctu palliastri circumstantis coronae obtutu magistrum . . defendisset*, denique quod his omnibus audacius insolentiusque enunciatum est M. V. 348 *eas lassitudine viae sedilibus refotas* i. e. a lassitudine refotas. Illa, quae brevitate quadam insignia sunt M. IX. 629 *quam exitio suo viderat pecuniam cupiens*, IV. 257 *nullo negotio cunctis opibus otiose potiremur* (i. e.

sine ullo negotio) vel M. II. 172 *aestus invadit animum recordatione facinoris.* ib. I. 54 *misericordia. saevitia.* I. 70. II. 131 *verecundia* aliosque ablativos caussae omittere possumus, quippe qui ne ab optimis quidem scriptoribus alieni sint. Neque etiam supinum ablativi forma aut frequenter aut insolenter usurpavit, exceptis DPl. II. 250 *acerba toleratu.* M. I. 18 *auditu nova vel visu rudia.* ibid. *non modo compertu evidentia, verum etiam factu facilia.* Iam denique singula, ut M. V. 325 *alius cithara pulsavit* ad verbum canendi similitudinem dictum (Val. Flacc. V. 694), nimis levia sunt, quam in quibus conquirendis percensendisque diutius commoremur.

Atque his fere dictionis licentias absolvimus eas, quae in singulorum casuum usurpatione observantur. Reliquae sunt eae, quae in enunciationum cursu singulisque sententiis nectendis cernuntur. Ex quibus quum admodum variae sint ac per totum syntaxis ambitum dissipatae, hoc tantum egimus, ut gravissimas eligentes adumbraremus tantum Apuleianae dictionis proprietates. Atque ex iis, quae a recta dicendi consuetudine abhorrent, complures e Graecorum dictionis imitatione profectae sunt, nonnullae ex festinatae orationis neglegentia manaverunt, non paucas ex sui ingeni propria subtilitate de consilio cogitateque affectavit. Ac primum dubitari potest, utri earum, quas extremas nominavimus rationes, subiciendae sint figurae κατὰ τὸ ἐννοούμενον frequentes eaeque satis audaces repetitiones. Ex quibus meliorum scriptorum usu iam trita sunt illa M. IV. 259 *Unusquisque proximi periculi confinio territus suppetiatum decurrunt anxii.* cf. ib. VIII. 520. 562. 579 *cervices intorquentes . . sua quisque bracchia dissecant* etc. vel M. VIII. 557 *alius lapidis, alius morsus vulnera referentes.* At satis memorabili audacia haec coniuncta sunt M. II. 164 *populus aestuat diversa tendentes.* ib. IV. 240 *vulgus indoctum rosas laureas appellant.* Flor. III. 65 *ingens hominum frequentia convenere* ib. IV. 103 *totum eius servitium hilares sunt atque epulantur.* Per appositionis speciem excusari possunt haec Flor. I. 40 *Iam te Severiane tota provincia desideramus.* ib. IV. 83 *Tanta multitudo ad audiendum convenistis.* ib. 98 *Carthagini, ubi tota civitas eruditissimi estis.* ib. I. 19 *Indi gens populosa cultoribus et finibus maxima procul a nobis ad orientem siti.* Minus accurate ne dicam perperam enunciata sunt etiam M. III. 185 *conspicio prorsus totum populum, risu diffluebant.* ib. 176 *populus procurrens caveae conseptum . . complevit, aditus etiam et tectum omne fartim*

stipaverant. IX. 610 *de tergo manipulus armati supercurrunt equites.* Flor. I. 21 *Est apud illos genus, qui. . novere.* ib. 28 *genus invenitur . . qui malint* etc. Ac ne haec quidem congruenter cum grammaticorum praeceptis coniuncta sunt M. XI. 782 *Nec tibi natales ac dignitas quidem . . profuit* ib. 783 *Quid latrones, quid ferae, quid servitium . . profuit.* Leviora, quae diversa sunt ab his, ut M. II. 122 *id omne latrocinalis manus invasit, quorum audaciae repugnans* vel M. VIII. 570 *ab emtione mea utpote ferocissimi deterruit animos.* VII. 468 *contemta mea praesentia quasi vere mortui,* similia conquirere supersedemus.

Paucis deinde de usu **infinitivi** disseramus: cuius singulas usurpationes memoratione dignas conferre satis, accuratius explicare rationes longum visum est.*) Multifariam ab Apuleio liberrime adhibitus est, sed neque a poetarum licentiis neque a recentioris aetatis scriptorum consuetudine alieno modo aut inaudito. Non pauci, prae ceteris novitate insignes, ex Gracae linguae imitatione profecti sunt. Ac primum infinitivos contra purioris linguae regulam e substantivis pendentes nota hos Ap. 537 *audi igitur, cui cura est cognoscere.* M. II. 106 *cum semper mihi unica cura fuerit, caput. . publice prius intueri.* ib. XI. 810 *nec ullum tam praecipuum mihi exinde studium fuit, quam quotidie supplicare* etc. Illud Ap. 582 *fatigare te non est consilium* iam totum fere in verbi notionem abiit neque ab optimis quidem repudiatum est. (Caes. B. G. 7. 26.) Multo plures ex adiectivis apti sunt, ratione vulgo ad consuetudinis Graecae affectationem relata, sed prorsus expedite ex legibus linguae latinae explicanda: nam nimirum vim adiectivi coercent atque indicant, adiectivum illud non valere, nisi ad actionem infinitivo significatam revocetur. Minus offendunt participia, quippe quae actionis notionem verbo inhaerentem obtineant mediumque quasi inter verbum et appositum locum occupent: velut M. I. 39 *potens coelum deponere.* Ovid. ib. IX. 661 *canes adsuetos abiecta per agros esitare cadavera.* VII. 494 *consuetus concidi fustibus;* denique, quod brevitate aegre ferenda dictum est M. IX. 672 *confususque de impotentia deque inertia sua quidquam ad quemquam referre popularium.* Tum vulgatius est (Verg. Ov.) M. XI. 752. 731. X. 695. IX. 632. VIII. 546 *certusque tanto facinori nec gladium sufficere;* iam multo rarius M. IV. 244 *certus*

*) Omittere nolui infinitivum, quamvis eius exempla permulta ex Apuleio collegerit adhibueritque: Golenski: de infinitivi apud poetos latinos usu. Diss. Regim. 1864.

et obstinatus nullis verberibus ad ingrediundum exsurgere; deinde M. VI. 382 *cupidior iratum . . lenire.* (Ovid.) M. VIII 565. VII. 474. Flor. IV. 88 *contentus scire, quod concupierat.* M. IX. 643 *non erat dubius aliquid etiam de se suaque coniuge tristius profecto cogitare aliud.* ib. I. 34. IX. 624 *dignus solus omnium matronarum deliciis perfrui.* Flor. I. 10 *Hyagnis fuit .. magister rudibus adhuc musicae saeculis solus ante alios cantus canere.* M. X. 695 *venenum praesentarium comparare sollicitus.* Flor. IV. 100 (equum) *et ferre validum et ire rapidum.* — Neque infinitivi ei, qui a verbis insolentius pendentes reperiuntur, a ratione linguae recedunt, etsi sunt remoti a pedestris orationis usu: nam maxima eorum pars usurpata est secundum poetarum licentiam. Atque verborum singulas classes rationesque accuratius secernere pro numero eorum non ita magno inutile, quodque nostrum est consilium, supervacaneum duximus. Satis erit diversae notionis verba sive contendendi sive cupiendi nolendique sive affirmandi sive movendi colligere separatim quaeque: M. VI. 434. 441. VIII 590. X. 697 *verberonem illum contendit redarguere* M. IV. 246. VI. 436. IX. 595. X. 681. III. 231 etc. *qui repugnare tentaverit.* M. VIII. 547 *fugere comparant* (Ovid.) DPl. I. 185 *asserere nisus est* (Ov.) M. XI. 755 *referre conitar.* Ap. 478 540 *adnixi effundere.* Asc. 286. Ap. 533. M. XI. 792. IX. 671. III. 179 *eum curavi producere* (Ovid. Verg.) M. VIII. 561 *passerem consectatur arripere.* ib. III. 215. V. 361. VI. 413. VII. 492 *memet ipse quaerebam exstinguere.* ib. IV. 247. X. 710 *bibere flagitarem.* — M. III. 200 *Paveo et formido solide domus huius operta detegere.* Flor. IV. 83. Ap. 596 *vindicari . . non recusasset.* Ap. 444 *parce paupertatem cuipiam obiectare.* Flor. III. 80. Ap. 411 *mitto enim dicere.* — Ap. 549. 588 *literas aveo lectitare.* Flor. III. 62 *ita institui omne vitae meae tempus probare.* Ap. 499. Asc. 299. 305. M. XI. 777. VI. 397 *sic, inquit, dignata es socrum tuam salutare.* M. IV. 264. 292. XI. 801 *destinaveram obsequium flagitare.* ib. IV. 244. IX. 657 *cogitas gustulum nobis praeparare.* Flor. I. 39 *non amet discere.**) ib. III. 73 *vir, cui omnes provinciae quadriiuges ponere . . gratulabantur.* M. VII. 492 *totum me periturum deflebam.* X. 694 *insui culeo pronunciaret.* ib. *patronis denunciat praeco neque principia dicere* etc. IX. 668 *deprecatur . . . mansuetius versari commilitonem.* VIII. 543 *hortati mutuo ferrum vesanis extorquere manibus.* ib. III. 194. VI. 418. 444

*) De quo cf. Quint. I. 3. 17: Graeca vero translata vel Sallustii plurima, quale est: vulgus amat fieri.

bestiis obiici suaderet. X. 686 *marito persuadet.. festinare.* (at M. IV. 241. VII. 454. VIII. 513. 548. IX. 635. 638. 674. X. 685 etc. vulgarem legitimumque usum secutus suadere cum ut et coniunctivo iunxit.) M. VI. 444. IX. 661. X. 682. XI. 781 *praecipit tegendo mihi linteam dari laciniam.* (V. 330. 335. 370 etc. coniunctivus sequitur). M. III. 502 *me capillos eius clanculo praecipitavit ferre.* (Verg. Aen. XI. 2.) M. I. 29. II. 145. III. 189. 200. 216. V. 356. VIII. 571. Ap. 520. Flor. III. 68 *compelleret . . abire.* Flor. IV. 89 *spinarum, quas ventus convolverit inter se cohaerere* vix toleranda brevitate dictum est. Asc. 290 *de sensu commoveor dicere.* DPl. I. 214 *eum* (sc. cibatum) *ex eo loco per omnes artus natura sollers derivari facit.* — Flor. II. 41 *quas licet sentire, non datur cernere.* M. IV. 235 *sentire praestabant.* M. X. 729. Ap. 446. 471 *nec ulli temere inter Persas concessum est magum esse.* Flor. I. 29. Asc. 312. Ap. 478 *permittite quaedam legi.* Ex Graeca consuetudine irrepsit (iam Ovid. met. IX. 657 Pont. III. 1. 82. etc.) habere cum infinitivo cf. Asc. 298. Ap. 516. Flor. I. 22 *nihil habet adferre, cur prandeat.* — Denique ad verba, quae motum significant, infinitivus accedit, ex quibus usitatiora sunt illa *properare* M. VI. 441, *festinare* M. IV. 315. VI. 421. VIII. 526. 557, *venire* VI. 397: multo vero insolentiora haec M. VIII. 513 *canes .. invadere bestias inmittuntur.* IV. 240 *dum contanter accedo decerpere.* — Restant ii infinitivi, qui non ex nomine aliquo pendentes, sed per se soli positi a prosae orationis usu abhorrent: ex quibus desumamus hos rationaliter quidem, sed rarius subiecti vel obiecti vicibus fungentes M. IV. 298 *denique flere et vapulare et nonnunquam iugulari lucrosum prosperumque proventum nuntiant: contra ridere* etc. Ap. 418. Asc. 323. 310 *voluntas de consilio nascitur et ipsum velle e voluntate.* — Flor. IV. 92 *Asclepiades ille primus etiam vino reperit aegris opitulari.* Asc. 292 *utpote cum voluisse et perfecisse uno eodemque temporis puncto compleat.* — Est hic usus poeticus magis, aeque atque ille cum indignatione interrogantis vel exclamantis M. IX. 612. IV. 262. 303 *Et imaginem meam circumferre puellam morituram.* Denique infinitivus historicus neque ita frequens neque adeo memorabilis est: legitur M. II. 137. 155. 158. 162. III. 174. 191. IX. 651. X. 691. 697. Flor. IV. 95 longiusque per complurium enunciationum seriem productus est Flor. III. 65. M. VIII. 524 sqq. — Non tam infinitivi usurpatione quam casu nominis a recta scribendi regula alieno memorabile fit M. VII. 472 *quod summos illi promitterent*

honores habituri mihi: qui graecismus et poetis et rerum scriptoribus (Verg. Aen. II. 377. — Tac. A. XV. 42), qui ant Apuleium vixerunt, non ignotus est. Eandem originem habet quod ipsum quoque iam antea reperitur (Verg.) M. IV. 31 *Invidiae nefariae letali plaga percussi sero sentitis.*

Verum haec de infinitivo hactenus. Iam quamvis satis mult supersint, quae ab electae sinceraeque dictionis usu abhorreant, tamen neque ita gravia et, in quo maxime laboramus nimis dispersa sunt, ut neque colligendi normam sequi ne rationem constituere possemus, qua ea complecteremur un unoque quasi conspectu consideraremus. Quod nisi fieri pot est, exilis admodum fructus ex brevi enumeratione singularum licentiarum percipitur. Neque tamen gravissimas cert omitti posse arbitrabamur, ne indiligentiae nimiae subiremus vituperationem. Itaque quam brevissime notavimus has. Infinitivo aptissime subiungitur, quae in eius locum nonnumquam succedit, coniunctio **quod**, quae post verba dicendi ab aliis quoque degeneratae linguae scriptoribus (Tert.) non aliena est: velut M. IV. 246 *colloquentes quod.* X. 724 *nuntiaret quod* VI. 425 *adulescentem istum quod meis manibus alumnatus sit, profecto scitis omnes.* Ex coniunctionibus reliquis commemorandum est **quoniam**, quod secundum vetustum morem (Plaut. Asin. II. 2. 83. III. 3. 52.) pro postquam usurpatum est Ap. 431 *tris servos solos ex urbe duxisse; quoniam ad villam publicam venerat parum visum, qui uteretur.* Verum hoc legitur in narratiuncula ex M. Catonis quadam oratione, fortasse ad verbum relata, indeque excusatur. Insolentius deinde coniunxit temporis coniunctiones *simul*, *ut*, *quoad*, *cum primum*, cum coniunctivo M. II. 98. *Nam simul quemque conspexerit speciosae formae iuvenem, venustate eius sumitur.* ib. VII. 486 *ut quemque enim viatorem prospexerit . . incurrit.* ib. X. 686 *frustratur eius conspectum, quoad illa . . nefarium amorem ad longe deterius transtulisset odium.* Cum primum vulgo quidem cum futuro exacto (M. V. 354. VI. 404. 430) aut cum indicativo perfecti coniungit (ib. V. 360. 369. VI. 405. IX. 647 etc.), sed etiam cum coniunctivo M. VIII. 507: *Cum primum Charite nubendo maturuisset . . eius munus obierat.* ib. VII. 458. *Sed cum primum litus Actiacum appulisset, nocte promota tabernulam quandam . . incubabant.* — Tum minus recte sunt etiam haec enunciata M. II. 134 *Nam praeter quod epulis alienis voluptates meas anteferrem, metum etiam istum tibi demam.* ib. 164 *me nomine ciere non prius desierunt, quam dum hebetes*

artus . . ad artis magicae nituntur obsequia, vel ib. 170 *singulis, ut quemque colluctantem offenderam, altissime demergo* (sc. gladium): ubi si non falsa, certe minus concinna est temporum consecutio. Postremum non praetereamus coniunctionem *ut* post varii generis verba saepissime omitti: qui mos, non quod a bonis scriptoribus abhorreat, sed propter ipsam frequentiam suam notandus est M. I. 31 *effeci sequatur.* ib. 81 *patitur . . concederem.* II. 124 *da veniam maturius concedam.* ib. 127 *porrigit bibam.* 133 *contendit interessem.* 134 *fac sine cura sis.* 146 *cave . . custodias.* 154 *praecipit . . redderet.* VI. 402 *afferas censeo.* 411 *petit . . mittas.* 415 *rogabit porrigas.* 386 *patere . . delitescam* cf. I. 70. II. 124. IV. 225. 241. 257. V. 330. 345. 370. VII. 500. 536 et saepissime*).

Denique, antequam totam quaestionem nostram absolvamus, hoc proponamus extremum. In singularum enunciationum structura sententiisque nectendis nonnunquam a recto orationis cursu, sive casu fortuito sive dedita opera, descivit Apuleius. Plerumque video eiusmodi licentias tributas esse eius neglegentiae: quod profecto non semper potest pro certo affirmari. Velut mihi illa orationis indirectae et directae rarissima mutatio multo magis videtur de industria affectata esse, quam ex indiligentia eius manavisse M. V. 371. 372 *filium . . dubium salutis iacere iamque . . omnem Veneris familiam male audire, quod ille quidem montano scortatu, tu* (sc. Venus) *vero marino natatu secesseritis.* Diverse potest disputari de huiusmodi liberiore constructione, quae quidem non satis firmata est M. IX. 657 *Sub ipsa enim mensa, quae reliquias prandii gerebat, terra dehiscens imitus, largissimus emicuit sanguinis fons.* Tum anacolutha, quae transcribere omnia longum est, haec comparari possunt M. VI. 417. VII. 486. IX. 608. IV. 242: *me . . caedendo confecissent profecto, nisi dolore plagarum alvus artata . . fimo fistulatim excusso, quosdam extremi liquoris aspergine, alios putore nidoris foetidi a meis iam quassis scapulis abegissem.* Sunt haec exempla pro metamorphoseon non parvo ambitu rara tantum. A quibus separanda sunt ea, quae in Floridis leguntur multo crebriora. In quibus oratiunculis cum id maxime ageret sum-

*) Relativi adverbii ut interponamus hic satis memorabilem usum, quo usurpatur tum pro utut Ap. 498: ut ista sese habent. DSr. 165: ut ista sunt. (similiter qua pro quaqua M. XI. 817 et quot pro quotquot ib. 800.) tum quasi prout Ap. 537: De nomine, ut impraesentiarum, satis dixi.

mamque adhiberet diligentiam, ne quid asperum esset aut obscurum neve longiore verborum ambitu aures mentesque fatigaret, sed ut omnia leniter et aperte et quasi remisse fluerent, dissoluta est oratio membris minutis et interrupta brevioribus additamentis. Quae ne perspicuitati officerent, structuram saepius immutavit accommodavitque ac revocavit, a quibus aberraverat nomina, additis „igitur, is igitur" etc. Huiusmodi producta longius et intercisa, sed eadem non impedita enunciata invenies plurima Flor. I. 8. 19. 22. 28. 32. 48. II. 57. 58. III. 79. 62. IV. 99. 101. Saepius etiam ubi nexum sententiae productio longior obscuravit vel impedivit nulla, tamen cum pleniore atque accuratiore diligentia repetiit, de quibus agitur, verba, ut Flor. II. 59 *Creophyli discipulum, qui Creophylus memoratur* etc. ib. 60. *verbaque, quae volantia poetae appellant, ea verba* etc. Similia frequentius occurrunt in Apologia cf. p. 387. 430. 442. 479. 509. 523. 578. 586 *ut filiis pecuniam suam reposcentibus, de quo supra dixeram, ut eam pecuniam redderet.* Est nimirum hoc dicendi genus, ut ita dicam, sollemne in iudiciariis actionibus, in quibus perspicuitas oratoris summa lex est: sed inde manavit etiam multifariam in reliquam scriptoris orationem. Simili modo observavi Gellium, quum in explicandis vocum originibus aut referendis veteribus edictis legibusque ei assuetus esset, etiam alibi eo fuisse usum cf. N. A. V. 6. 14. V. 14. 9. VII. 10. 2. XIV. 1. 4. XVII. 19. 3. XV. 10. 2.

Verum huiusmodi singulas observationes arbitror fructum afferre minimum, quia nimis exiles sunt atque disiectae. Praeterea, quo diutius in iis moror, eo plures mihi subveniunt, quas omnes non libenter omiserim, quas tamen quomodo apte colligam atque coniungam inter sese nescio. Itaque ne longius producerem cassum laborem, statui hunc quaestioni toti imponere finem.